

CAPUT SEPTIMUM

De Ministro Generali totius Ordinis Minorum.

Num. I. Capitis hujus cum præcedente conexio pariter efficit, ut alterum per alterum adjuvetur; & ea, quæ in uno dicta sunt, per alterius contenta plenius intelligantur. Unde systema Ordinis, quod in superiori Capite aliquibus forte non satis exposuimus, hic uberioris adjiciamus, à quo, & status quæstionis præsentis tituli multum dependet; siveque

Dicendum inī, apud neminem esse non posse in confesso, quod non obstantibus aliquorum conatibus, Regula Minorum à S. Francisco conscripta, & ab Honorio III. confirmata, à prima sui institutione, usque ad annum 1430. fuerit ab universo Religionis Corpore literaliter, & absque dispensativo Privilegio observata. Post S. Franciscum Fundatorem, de S. Antonio Paduano, de S. Bonaventura, de cunctis successivè Ministris Generalibus (Eliam, Crescentium, Gerardum, & Antonium de Massa, si excipias) legiūnus in Ordinis scriptoribus, Chronicis & Annalibus, quām inconcussè pugnaverint novi Machabæi pro testamento Patris sui, & pro subrepentium abusuum desecatione. Eliam verd, Crescentium &

Anto-

Antonium de Massa, quod relaxationibus indulgerent, novimus per Capitula Generalia iuxta Regulæ tenorem à Generalatu depositos; quod ipsum Gerardus in Caturcensi Capitulo, animo ad Reformationem composito, vix evasit: ex quibus indubie cognoscas, hoc toto tempore Religionem universam pro integra Regulæ Observantia sletisse, prout Clemens V. in Concilio Viennensi declaravit; unde & rigida Regulæ declaratio prodiit, quæ incipit: *Exiri de paradiſo &c.* quæ & habetur inter Clementin. de verb. signif. Cum verò etiam ante præfatum annum 1430. tametsi Religione in Comitiis reclamaente, invalescere cepissent plurimorum relaxations, & plurimi etiam Regulam integrè Observantes in ipso Communitatis Corpore permanerent; aliqui tamen præ ceteris Zelotes, qui relaxatorum mores sufferre nequibant, à Corpore Communitatis in particulares Familias, de superiorum licentia secedentes, Capiti Ordinis equidem per omnia subjecti, separatum vivere maluerunt, ut quietius & perfectius Regulam liceret observare; si autem tam hi quoad locum se separantes, quam alii naultò plures in Communitatis Corpore permanentes, & nihilominus in tali communitate Regulam integrè Observantes, insimul computentur, patet ad oculum, qualiter nunquam defuerint in Ordine Observantes, quod ex Dei promissione S. Franciscus propheta-

verat. Talis autem ab anno 1348. (qui & annus pestis nominatur) usque ad præmitemoratum annum 1430. multorum à Zelo regularis Observantiae deficientia proveniebat inde, quod magna pars subjectorum Ordinis, per quasi universaliter tunc grassantem pestilentiae morbum fuerit & vivis sublata, quorum numerus, ut citius restauraretur, sine sufficiente personalium, ac Spirituum delestu, promiscue admittebantur ad Ordinem etiam delicatores, qui cum tempore, sicut rigorem Regulæ ægrè rebant, sic ad relaxations inclinabant; insuperque bona tali contagione quasi hinc inde derelicta, cum majori facilitate deveniebant ad Fratres, qui amorem paupertatis Minoriticæ cum illis dividebant.

Num. 2. Quibus equidem non obstantibus multi adhuc erant Filii Rechab ab hereditate paterna nunquam recedentes, & ab ipso Religionis exordio Fundatori Seraphico adhaerentes ex corde, Regulæ rigores, quam diu licuit in pace, & absque divisione Observantes ad literam. Tandem, ubi libertatis amicos prevalere viderunt, in locis pauperibus viventes, præsertim à Concilio Constantiensi, veluti proprio contra reliquos addito distinctivo nuncupati fuere Observantes; & hic quidem incepit ætas publicè impositi hujus nominis distinctivi, quod equidem dibatur non hominibus novis, sed personis à tempore S. Francisci continuatis, idque finè

finē interruptione, ne aliās rueret promissum
 Christi factum S. Franciso in monte Palumbo.
Minores itaque *Observantes*, sive de *Observan-*
tia Regulāri dicuntur, eō quod puram regulā
 Observantiam ab irrepentibus abusibus procul,
 observare maluerint. Hi sunt, qui publicatis
 postmodum dispensativis Privilegiis Martini V.
 & Successorum ejus Pontificum majori, ac for-
 tiori agmine semper excrescentes sub S. Bernar-
 dino Senensi, sub SS. Joanne de Capistrano, &
 Jacobo de Marchia, sub Marco de Bononia,
 Angelo de Clavasio, Bernardino Feltrensi,
 aliisque Sanctissimis & quāc ac doctissimis Heroi-
 bus uniti, contra aliorum molestias, illasam
 semper (juxta Dei promissum) S. Francisci Re-
 gulam observare, & ad fortissimum Ecclesiæ
 Dei fulcimentum conservare voluerunt. Hi
 denique sunt, quos ex variis Ordinis Refor-
 mationibus fibi consentientibus unitos, non
 modò in Regulā puro rigore, sed & in numero
 longè prævalentes voluit Leo X. purissimum esse
 Religienis Franciscanæ, seu Ordinis Minorum
 Corpus, in eosque *Jurisdictionem Ordinis Mi-*
norum in Capite, ut ipse loquitur, de unani-
 mi S. R. E. Cardinalium consensu tempore sy-
 nodi Lateranensis transferre; & Ministerium
 Generale, qui solus talismodi respectu totius
 Ordinis Minorum diceretur, de se ipsis, &
 per se ipsos eligendi habere (ut expressissime
 ait ipse Leo Pontifex in Bullis jam priori Capite

citatis, & adhuc citandis) cæteris interim ad sua Privilegia mitigativa ab electione recedi jussis, qui ex alia Leonis dispositione, eligere sibi habebant **Generalem Magistrum**, ut solus Observantinus diceretur **Minister secundum Regulam**.

Num. III. Ne tamen hæc gratis dixisse videar, declarationes Apostolicas adduco. Julii II. in suo diplomate: *Exponi Nobis &c.* dat. Romæ die 18. Aprilis 1512. ante divisionem Leoninam, nempe Observantes ipsos esse veros S. Patris Francisci filios, & imitatores in arctissima pauperitate fundatos &c. Quod Clemens VIII. longè posteriori tempore in Bulla: *Ex injunctio &c.* dat. Romæ die 7. Septembris 1602. de Strictioris Observantiae Professoribus confirmavit, ubi, cùm in §. 2. dixisset, eos esse veros, & indubitatos Filios S. Francisci, gravissimo precepto mandat, ne quisquam imposterum eos appellare, aut dicere audeat *Religiosos novos &c.* Clarius etiam Leo X. in literis pluribus Apostolicis: *Ite & vos &c.* & Omnipotens Deus &c. 1517. & in aliis, quæ incipiunt: *Licet alias &c.* de die 6. Octobris 1517. ubi definitive sic ait: *Quodque ipsi Fratres de Observantia, & Reformati veri, & indubitate Fratres Ordinis S. Francisci, & ejus Regula Observatores semper fuerint, ac divinâ favente gratiâ sint futuri, sine aliqua interrupzione, seu Divisione à tempore editæ Regula per S. Franciscum, usque ad præsens.*

Et

Et in aliis, quæ incipiunt: *Universis &c. & Ce-
lebrato nuper &c.* die 8. Aprilis 1518. ubi con-
tra nomullos de alijs Religionibus clariori ex-
pressione sic definit: *Inter eosdem Fratres Obser-
vantes hujusmodi, & alios mendicantes predictos
hanc Ordinem servari mandamus, quod Minores
Observeantes hujusmodi antiquum semper locum
teneant, quem Ordo S. Francisci in similibus acti-
bus teneri alibi consuevit.*

Num. IV. Ecce per oraculum Pontificis,
quid per Minores Observantes, vel quoad rem,
vel quoad nomen intelligatur explicatum: quæ-
nam huic consequentia tergiversatio esse poten-
tit? Observantes illum locum antiquum te-
neant, quem Ordo S. Francisci hactenus tene-
re consuevit; ergo Observantes idem repræ-
sentant, quod Ordo S. Francisci hactenus re-
præsentare consuevit. Esto igitur Minores illi,
qui ab Ordine condito, usque ad Religionis
eiusdem divisionem in pura Regulæ Observan-
tia perseverarunt, absque illo addito *Observan-
tes*, si aplice *Fratres Minores* dicerentur,
eosdem tamen esse in re, non possumus am-
bigere. Quæ enim ratio, vel causa nomen
unicum, à S. Institutore præfixum, uno in
Corpo indiviso alterandi? adveniente vero
Ordinis divisione, ut antiqua illius pars, quæ
à primæva Regulæ puritate non recessit, ab alia,
quæ de novo Privilegia mitigativa superinduxit,
etiam discerneretur in nomine, non esse non

potuit, ut fieret nomenclaturæ superadditamentum, quod partium Ordinis divisio, non personarum novitas exigebat.

Num. 5. Enīgitur luce meridianā clarius, quinam sint illi Franciscano in Ordine Religiosi, qui sub Observantium nomine intelligantur, & intelligi omnino debeant; illi nempe, quos Seraphicus Patriarcha Regule sue ad literam ab initio Observatores adscivit, & conservabit usque ad consummationem saeculi. Illi inquam sunt, qui per varias rerum vicissitudines, nec non per multiplices aliquando tribulationes (non est novum in mundo Inter ejusdem Matris Filiorum controvēsias) Regulam Minorum purè, simpliciter, & absque ulla dispensatione observare voluerunt. Deoque dante observabunt in futuro; & quācunque etiam in ipsis (dato casu) mutatione facta, non deficient ex ipsis, qui sunt verissimi Regulæ Observatores. His ergo per S. Franciscum ab initio constitutis, & in puritate Regule perseverantibus Leo Papa X. voluit non immēritō dari primatum in Ordine Seraphico, præcedentiam in actibus publicis, Ministeriatum Generalem, & Sigillum cum titulo, & inscriptiōne: *Minister Generalis totius Ordinis Minorum, quæ omnia de unanimi S. R. E. Cardinālium Consilio se perfecisse testatur in præcitatī suis Constitutionibus: Itē & vos &c. Omnipotens Deus &c. Licet alia &c. Celebrato nuper &c. Etsi pro injuncta &c. qua in ultima, & formam,*

mam, & motiva hujusmodi determinationis voluit explicata.

Num 6. Quod si Observantes à Conventualibus exivisse, id est, separati fuisse alicubi dicantur, in rigore loquendi non ipsi à Conventualibus separati sunt, cum toties duce S. Joanne Capistranensi, & aliis, ut videre est in Ordinis Annalibus Tom. 5. 6. 7. & 8. Et adhortationibus Martino V. Eugenio IV. (utique ceteros omittam) Julio II. & Leone X. Pontificibus, integrum Ordinis unionem, dummodo rejectis mitigationibus de novo superinductis, in antiqua, & originaria Regule puritate, ab Observantia Sancte vivere liceret. Conventuales potius ab Observantibus separati sunt, dum per libertates, & Privilégia à primævo vita Franciscanæ rigore recedere maluerunt. Sanè Ludovicus de la Torte ad annum 1498. Observantium sub Vicariis Vicariis Generalis, non tam amans erat exemptionis Pontificiae, quam perfectæ unionis cum reliquo Corpore, dum in sua Apologia in Firmamentis triam Ord. part. 3. relata sic ait:

„ Loquendo de mensilero, & indigno membro
 „ in haec Observantia, hic, & in Urbe promisi
 „ Generali Ministro coram Socio meo, quod
 „ volebam ponere ad ignem Eugenianas Bullas,
 „ si ad instar hujus Observantiae vellet reformatre
 „ Conventus, incipiendo alienare possessiones
 „ & proprietates &c, quæ nisi fiant, omnis alia
 „ reformatio quasi esset frustranea... Idem dixi
 „ , sepe

„ saepe Sanctissimo Domino nostro, & multis
 „ RR. DD. Cardinalibus. Profecto non, qui
 in Contraria manet, sed qui mutat, ille recess-
 sisce censendus est; & Minor pars dicitur potius
 exire, vel sese separare, quam è contra. Tem-
 pore autem Leoninæ divisionis minor Ordinis
 pars erat illa Conventualium, & una solummodò
 tribus contra quatuor vel quinque; unde & in-
 quirit Leo, quod major suppositorum Ordinis
 pars steterit à parte Observantium; quidni pro-
 inde illi traherent secundum Ordinem, una cum
 Generalatu? prout etiam factum est, dum ex
 Decreto Leonis X. (inhabitatis tam activè, quam
 passivè aliis) legalem S. Francisci successorem, eli-
 gebant ipsis soli, sub titulo: *Ministri Generalis*
totius Ordinis Minorum. Pro quo proinde

Num. 7. Dicendum, quod solus Observan-
 tiua Generalis de jure est, & inscribitur: Mini-
 ster Generalis totius Ordinis Minorum, vel totius
 Ordinis S. Francisci.

Hoc assertum non placet illis, quibus certæ
 Constitutiones Pontificum, & confirmata Sacrae
 Congregationis Decreta displicant; prout ante
 faculum vehementer dispicebat Ordinis Con-
 ventualium Procuratori Generali tam titulus ille,
 quem per sexennalem item reformati petebat,
 quam sententia Sacrae Congregationis pro manu-
 tenentia talis tituli contra ipsum emanata, ad
 quam, quia obiter nimis reflexit M. Veterus,
 eam denuò hic adjicio, sequentis tenoris: *Decre-
 tum*

rum Sacra Congregationis Cardinalium pro Re-
verendissimo Patre Ministro Generali totius Ordi-
nis Fratrum Minorum. „ Cùm Procurator Ge-
neralis Fratrum Minorum Conventualium S.
„ Francisci sex ab hinc annis ægide ferret, Mini-
„ strum Generalem de Observantia in præteri-
„ turu usum, & in præsentiarum uti sigillo cum
„ inscriptione: Ministri Generalis totius Ordi-
„ nis Fratrum Minorum; recursum habuit ad
„ Sanctissimum, supplicans, mandari, ac re-
„ formari ejusmodi titulum, tanquam non le-
„ gitime dicto Ministro Generali de Observan-
„ tia competentem; & supplicatione per San-
„ ctissimum ad hanc Sac. Congregationem re-
„ missa: eadem Sac. Congregatio discussionem
„ hujus negotii ad referendum usque de anno
„ 1625. commisit Eminentissimo ac Reveren-
„ dissimo Domino Cardinali Muto, coram quo
„ firmato debio, de consensu ambarum par-
„ tium: an titulus Ministri Generalis totius Or-
„ dinis FF. Minorum, quo insignitur Minister
„ Generalis Observantium, sit reformatus.
„ Utrâque parte sæpe sæpius in facto, & Jure
„ desuper informante, & auditâ: ad relatio-
„ nem ejusmodi Cardinalis Muti, causâ acerri-
„ mè in plena Congregatione discussâ, Sacra
„ Rituum Congregatio respondit: Nihil inno-
„ vandum, & Ministrum Generalem de Obser-
„ vantia legitime usum fuisse, & uî posse titulo,
„ & Sigillo cum inscriptione: Ministri Generalis

„ totius

,, totius Ordinis FF. Minorum; & ita servari
,, mandavit, die 22. Martii 1631.

(L. S.)

C. Episcopus Portuensis, Card. Pius.

T. Vegrinius Episc. Assisiens. Secr.

Romæ ex Typographia R. Cameræ Aposto-
lice 1631.

Num. 8. Ubi ne *judices contra Judicem, quoniam secundum quod justum est, judicat.* Eccl. 8.
Quin & pro perpetuando superiori asserto nostro, Justè possidet, qui authore Pratore possidet,
 l. 11. ff. de acquir. Possess. Et *Judicati actio per-*
petua est. ff. de re Judic. repetóque, quod in
 primo meo Dialogo positum, Modestus Veri-
 nus pariter neglexit, scilicet, quòd rei *judicata*
virtus sit firmare fidem, ex l. res Judicata. de reg.
jur. Iseque habeat ad instar Muri, qui in me-
 dio positus transiri non potest: quia per eam
 impositus est finis litibus (utinam & contradic-
 tionibus) & probationes ulteriùs non sunt reci-
 piendæ; etiamsi aliquis, si vel Asinus canem
 momorderit, amaverit litigare. Unde caus.
 25. q. 2. c. 12. dicitur: *Ecclesiastica moderati-*
on est omnino conveniens, ut que ordinata fue-
rint, vel rationabiliter decisa, nulla imposterum
debeant refragatione turbari.

Num. 9. Nihilominus, ut legitur in Orbe
 Seraphico, „ Religio Conventualium con-
 „ questa est expost apud Sanctissimum de De-
 „ creto ab hac Sacra Congregatione emanato ad
 „ fave.

„ favorem Minitri Generalis de Observantia,
„ supplicans, tanquam non audita sufficienter
„ in suis Jurib⁹, audiri in signatura gratiæ,
„ & mandari Illustrissimo Datario, qui con-
„ cedat supersefforiam necessariam. Ex ad-
„ verso F. Alphonsus de Prato, Procurator Ge-
„ neralis Minorum Observantium adiens &
„ ipse cum supplici libello, eundem Sanctissi-
„ mum supplicavit, quod stante Jure suæ Re-
„ ligionis quæsito, tam ex Bullis Pontificiis,
„ quam ex novissimo Decreto, parte adversâ
„ super usu dicti tituli, & sigilli, per quin-
„ quennium & ultra, saepius auditâ, & re-
„ plicantem nemine ex Eminentissimis Patri-
„ bus contradicente, ad suî favorem edito, &
„ etiam impresso, Sanctitas sua dignaretur
„ huic negotio perpetuum silentium, ut par-
„ est, imponere. Et utrâque supplicatione
„ per Sanctissimum ad hanc S. Congregatio-
„ nem remissâ, eadem S. Congregatio unani-
„ mi Eminentissimorum Patrum consensu cen-
„ suit, ex hac tenus deductis non esse locum
„ novæ audientiæ, & mandavit Secretarium
„ alloquicūm Sanctissimo juxta mentem Sacrae
„ Congregationis, die 12. Aprilis 1632. Dein-
„ de: Feriâ 6â die 21. Aprilis ego Secretarius
„ allocutus fui cum Sanctissimo juxta mentem
„ Sacrae Congregationis; & Sanctitas sua man-
„ dayit mihi, ut alloquerer, prout feci, R.D.
„ Datarium pro imponendo perpetuo silentio,

Apud

Apud Dominicum Gubernatis in Orb. Seraph.
Tom. I. pag. 95.

Num. X. Nunc, qui nimium naufragabundus non est, non nihil audiat, quibus dictariis M. Verinus hunc titulum excipiat, quo honore ac reverentiâ cum Sacra Congregatione fontiens, Pontificique correspondens repondeat.

Prodromus ejus R. P. Hierotheus in *Epitome* cum nonnulla adhuc modestia, titulum illum dixerat *speciosum*, seu *ad speciem*, sicutiique *Juris*; Genius ejus M. Verinus, in *Discursu Polemico*, minus tamen Polemicè pag. 230. dicit, quæstionera de tali titulo, *non de nominis re*, *sed de quodam quasi psigmento*, seu *de nominis purpurissâ procedere*. Et post pauca subdit: ita & hujus tituli valor, seu veritas pari, tranquillèque passu in spatiis imaginariis ambulare sînantur. pag. 229. dicit, Sacram Congregationem certum perspectumque habuisse, in titulo *Ministri Generalis totius Ordinis Minorum*, *non esse magni nominis veritatem*, *sed umbras*. Et dum ego titulum illum in Jurisdictione quadam, non actuali, sed habituali (de qua postea) fundatum dixerem, sub illo respondebam idem D. Modeftus eum ad *commenta*, & *entia rationis* reducit, ad quæ, inquit, aliæ Scholæ distinctionem medium Scoti reducunt; ubi profectò, si de distinctione media dissertationem audire voluero, ad Academias, & Universitates, non ad M. Verinum ibo.

Num.

Num. 11. Rogo interim ipsum, ut non tam mihi, quam Procuratori Generali Ordinis Conventualium suprà objiciat, quod sex abbines annis egrè iulerit, entis rationis intolerabile pondus; objiciat ipsi Sacrae Congregationi, ipsique summo Pontifici Urbano VIII. quod rationis ratiocinantis otium tanquam negotium discutiendum putaverint, ibi: *Supplicatione per Sanctissimum ad hanc Sac. Congregationem remissa, eadem Sac. Congregatio discussionem hujus negotii ad referendum usque de anno 1625. commisit Eminentissimo Cardinali Muto.* Objiciat & huic Eminentissimo Ecclesiæ Prælato coram ipso firmatum fuisse dubium de Reverendissimo nihilo. Si titulus ille sit solum ad speciem, Jurisque fictiti: cur in decretali illa sententia additur: *utrâque parte sape sepius in Jure & Facto desuper informante, & auditâ? sanè maximus in nihilo? Ius neque Cesar habet.* Si Sacra (ut Modeste Verine inquis) Congregatio certum perspectumque habuerit, in titulo illo *non esse magni nominis veritatem, sed umbram:* Cur tituli illius prerogativa, veluti entis rationis inanitas, pro pacificandis partibus, eruenda que ex nonnullorum oculis festuca, non fuit cassata? Cur Eminentissimus Referens per sex annos, cum pudenda temporis jactura, circa nihilum, seu merè fictiti aliiquid sese occupavit? aut saltē, cur nihileitatem Juris non æquè facile, ac M. Verinus invenit, & nota-

vit? Cur referendo fictitium hoc tanquam nihilum non rejicit? An Verinæ Modestia benè stat, ad publicum dicere, typóque publicare, quòd in plena Congregatione cum umbris, & larvis acerrimè fuerit pugnatum, ibi: *Causâ acerrimâ in plena Congregatione discussâ?* An forte secundūm eandem Verinam Modestiam, & in imaginario somnio S. Congregatio in pleno audivit, & pars Observantina somnians de suo *Jure & facto* informavit? Sanè convenientius hīc adjecerim illud Augustini, quod mihi alibi applicas: *verè tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti.* Si verum sit, quod pag. 228. dicens, ipsosmet Observantes esse in tacitis, simulque sat apertis confessis, titulum totius Ordinis Minorum Primicerio suo non competere, nec competere posse; Cur ergo Venerandum Decretum de Legitimo, sicque & de Jure competente ulu, tam præterito, quam futuro, & impetrarunt, & ostendunt, idque cum clausula: *Et ita servari mandavit, scilicet S. Congregatio?* Quā verborum, sensuimque connexione pag. 229. dicere vales, S. Congregationem prudenter, ac illuminatè per istam sententiam circa titulum Ministri Observantini resolvisse; cùm pag. præc. titulum illum ipsi *non competere, nec competere posse*, nedum sentias; sed & ipsis Observantibus talem sensum, confessionémque affingis? Tandem, si verum sentis, Cur contra omnem competentiam Pontifices usque hodie

die istam inscriptionem continuant, & manu-
tenent?

Num. 12. An & ipse modernus Sanctissimus
Benedictus XIV. in novo Martyrologio Ob-
servantino, quod inscripsit: *Pro omnibus*
utriusque sexus Ministro Generali totius Ordinis
Minorum subjectis, pigmentis movetur, prae-
sertim, dum hanc inscriptionem etiam in plu-
ribus aliis ab ipso ad imitationem suorum Præ-
decessorum editis Bullis, & Rescriptis tenet;
licet in aliquibus aliis propter particularitatem
materiae addat: *Regularis Observantie*, ubi in
unius & alterius, materiam merè particularem
respicientis, adductione M. Verinus, ad meam
distinctionem, differentiæque explicationem
non attendens, putat, se totum invenisse.

An inquam Modernus Pontifex ita Generali
Observantino inscribens, censeatur cum ipso
ambulare in spatiis imaginariis? An novissime
adhuc, per hujusmodi tituli à M. Verino ob-
trusas ineptias, cum nostro Generali luserit,
aut in pulvere pigmentario scripserit, dum de
dato Romæ die 17. Martii 1755. ad illum di-
rexit Indulgentias plenarias perpetuas pro om-
nibus Ecclesiis Fratrum, & Monialium Mini-
stro Generali totius Ordinis Minorum subjectis,
pro diebus Festis S. Ludovici Francorum Regis,
& S. Elisabeth Reginæ Hungariae? Item, dum
S. Congregatio Rituum ad mandatum ipsius
expedivit decretum de die 16. Januarii 1755.

quo permittitur per modum simplicis in officio & Missa servari de B. Helena Elselmina Moniali Clarissa, pro Fratribus & Monialibus, Jurisdictioni Ministri Generalis totius Ordinis Minorum subjectis? Anno praecedenti sub iisdem expressi-
nibus, ac restrictionibus concederat idem San-
ctissimus Gloriosè regnans, servari Officium
Sub ritu dupli de B. Rogerio, S. Francisci
in vivis Socio. Et hæc spectant ad materiam
totum Ordinem Minorum, cuius ipse Obser-
vantium Primicerius, Generalis inscribitur,
spectantem; dum alia sæpe Rescripta (quæ Ob-
servantes præcisè ut tales respiciunt) restrictio-
nem, seu additum: *Regularis Observantie*,
specialiter requirunt. Ubi ad captum nostri M.
Verini clarius paulisper debeo me explicare di-
cendo: me per materiam particularem intelli-
gere illa, quæ Corpus Observantinum specia-
liter attingunt; per materiam verò universa-
lem ea, quæ Ordini Minorum in tota sua lati-
tudine sumpto (saltè per participationem) con-
ducere possunt, qualia E. G. sunt Brevia indul-
gentiarum pro Festis Sanctorum, quæ ante
omnem Ordinis Divisionem decesserunt, qui-
que propterea simpliciter, & sine addito: *Fra-
tres Minores S. Francisci* ex Decreto S. Congre-
gationis dicendi sunt. Et hæc convenientissime
Ministro Generali totius Ordinis Minorum inscri-
buntur. Dignetur quo Lector respicere
ad inscriptorias quinque Bullarum, quas M.
Veris,

Verinus pag. 10. adducit: & clarè videbit, omnes hasce in materia Corpus Observantinum specialissimè concernente procedere, adeoque particularius inscribendas fuisse Ministro Generali Ord. Min. *Regul. Observantia.* Quod iam Charitas illius, qui finè fine & modo meam Charitatem arguit, Generales inscriptiones suprà à Capite Ecclesiaz provenientes velit dicere *pigmentarias &c.* prudens quidem Lector, quia ità scriptum est, legit, sed non æquè (ut puto) approbat.

Num. 13. Dicit M. Verinus pag. 12. quòd hic in *Observantini Martyrologii* fronte eminens titulus, scilicet: *Martyrologium pro omnibus viriisque sexūs Ministro Generali totius Ordinis Minorum subjectis*, ex Calamo Observantino profluxerit, sicque in nostra controversia nihil probet. 2dò, Dum ego notaveram, quòd Pontifex inter *Martyrologia Minorum*, veluti in suo Ordine hierarchico, primo loco posuerit illud, quod Observantibus servit; ad hoc pag. 13. respondet, quòd meum Caput *Franciscanis Primatibus, Minoritanis hierarchiis, ac praecettentius sic incendere, ac vigilare se probet, ut pene nulla sit talismodi juris umbra, ex qua non solem ipsum effigiare, ac ostentare conatur.* Ad hac (pergit 3tūc) si Regularis Hierarchia statuenda sit ex Ordinum serie, prout in novo *Martyrologio* cernitur, jam primum de Jure locum habebunt Canonici Regulares, al-

terum Benedictini , tertium Cistercienses , quartum Observantes , & tunc Conventuales &c. quod autem hic sit Institutorum Ordo , quibus modis , quâ authoritate probatur ? quasi diceret nulla :

Num. 14. q. ad 1^{um} : Si inscriptio illa Martyrologio nostro præfixa ex calamo Observantino profluxerit ; ex quo ergo calamo supramentionata decreta Indulgentiarum , & Brevia Apostolica profluxerunt , unâ cum suis clausulis : *Pro omnibus Ministero Generali totius Ordinis Minorum subjectis?* Deinde cur non æquè ex calamo Conventionalium , & Capucinorum pro suis respectivè Martyrologiis similes Inscriptiones profluxere ? An nobis fortè persuaseris , illud , quod studiosissimi , & sicut ad omnia , ità etiam ad Ordinum Jura vigilantissimi Pontificis auctoritate , prodiit , non fuisse revisum , non in debito suo Ordine positum , non examinatum ? sanè in doctissimis literis universali Martyrologio præfixis , & nucleus quasi historiæ Ecclesiasticæ continentibus , Pontifex testatur , se nonnullorum Martyrologia Ordinum correxisse & emendasse . q. ad 2^{dum} : Observantes illam dispositionem , & Ordinem non fecisse , nec fortè opus habebant versatissimo , etiam in Communibus Juribus Ordinum , Pontifici sua Jura ostendere , qui & aliunde censetur omnia Jura habere in Scrinio pectoris sui ; quantumvis alias ad quemlibet Ordinem spectet ad sua

Jura

Jura invigilare , illa tenere , & manutenere , ne Jurium in Ecclesia Dei fiat confusio , contra pulchritudinem ejus. Unde meum Caput potius querit (saltē pro suo modulo) impleri Juribus , quām ipsis præcedentiis. Dum autem M. Verinus , pleno de Capite disputando , contendit probare , solum habitum Capucinorum esse inter Minores Regularem ; Observantinum solā dispensatione Pontificiâ licentiatum : Separationem Capucinorum à Capite Observantino tam fuisse necessariam , ut illam dissuasissē fuerit *malignum Consilium* , à Deo in Cardinali Vitellio punitum : Capucinos esse Strictiores , Observantes esse sub instituto mitigato &c. profecto omnia illa , illisque similia nihil Juris in se continent , sed ad solam quæstionem facti , & quidem nunquam probati sunt reducenda , consequenter potius in nonnullorum Capite , quām in Codice fundata.

Num. 15. §. ad 3tium suprà , quòd loquendo præcisè de Ordinibus , quorum ibidem correcta ponuntur Martyrologia , & præscindendo ab illis , quorum non addicuntur correcta , ille reverà sit Ordo Institutorum hierarchicè observatum , & Observandum . Si autem M. Verinus probam querit , respiciat subscriptiones S. Concilii Tridentini , ubi Ordinum Generales serie ita Ordinatâ sese subscripserunt , ut post Generalem Ordinis Prædicatorum immediate sequatur Observantinus , deinde Con-

ventualium &c. Alii etiam suprà mentionati Ordines scilicet Canonicorum Regularium & Benedictinorum, eundum pariter, & non alium Ordinem servâssent in subscribendo, si, sicut Ordo Minorum, omnes essent hierarchici, sub uno continuando Capite Generali. Non autem hic iterum adducere Ordinem in Capella Pontificia servatum, ac servandum; ubi Minister Generalis totius Ordinis Minorum (qualisunque in titulo sit inanitas) de Jure præcedit alios Generales Minoritanos: quod idem de Jure etiam competit Procuratori Generali Observantino respectu aliorum Minorum Generarium in Curia Romana Procuratorum; Nam M. Verinus pag. 9. me *impropria libertatis* accusans, dicit, quod *obtruserim solos, & unicos in Capella Pontificia confessus: quasi vero Generales Ordinum Praefecti, extra Capellam Pontificiam, concurrere, convenire, aut confidere non possent;* ex quo (quia nihil ultra addit) utique putat meum argumentum corruere. Ast meum non erat infinitatem Conventionum, non adeò ad rem facientium ex secundo possibilium sinu congerere: qui putabam omnibus sufficere, principalioris meminiſſe Conventū, Patrumque confessus, in quo Jura Ordinum sese manifestare, nemini dubium est.

Num. 16. Nisi M. Verinus, veluti ex Instructoris Officio mecum esset unicè occupatus, ubique equidem instruendus, potius forsitan

exa-

examinasset, an præcedentiis magis, quam Juribus, repletum Caput habuerint illi, qui anno 1678. gravissimâ lite suscitatâ, contendebant super Observantes locum obtinere dignorem, saltèm in locis, ubi ante Observantes habuissent Conventum, idque in vim Constitutionis Gregorii XIII. super præcedentia inter Regulares Observanda; quæ causa, utpote ex parte succubentium, juribus vacua, sequenti fuit decretali sententiâ terminata: „ Factâ relatione per Eminentissimum Dominum D. Cardinalem Sabellum Ponentem, causæ Ampuriensis præcedentia in S. Rituum Congregatione de Controversia super præcedentia in processionibus, vertente inter Fratres Minores Observantes ex una, & Capucinos ex altera parte, habentes ambos Conventum in Oppido Nulvi in Sardinia Ampuriensis Diœcesis, & eadem S. Congregatio auditis hinc inde partibus, voce, & in scriptis pluries informantibus, & præcipue pro parte Minorum Observantium declaravit, præcedentiam deberi Fratribus Minoribus Observantibus, ex quo Observantes sunt priores in Ordine qualitatis, & Approbationis Apostolicae; & Capucini, licet priores in fundatione Conventûs per quatuor annos in eodem loco, sunt tamen Filiales ex eadem Religione Observantium, & longè posteriores in Approbatione Apostolica, quo casu non

„ intrat Bulla Gregoriana de anterioritate Con-
 „ ventus in eodem loco. Et ita decrevit, &
 „ servari mandavit, die 26. Novembris 1678.
 „ Cardinalis Carpineus Loco † Sigilli Bernar-
 „ dinus Casalius S. Rit. Congreg. Secretarius.

Hoc Sacrae Congregationis decretum anno
 sequenti confirmavit Innocentius Papa XI. per
 Bullam, quæ incipit : *Nuper à Congregatio-*
ne &c. dat. Romæ die 16. Januarii 1679. Pon-
tificatus anno 3tio,

Num. 17. Cum verò PP. Capucini decisioni
 Apostolicæ non acquiescerent, & causam re-
 assumi obtinuissent, defendente suos Obser-
 tes F. Petro Sporin Procuratore Generali, se-
 quens adhuc emanavit Decretum : „ Iterum
 „ per Eminentissimum, & Reverendissimum
 „ D. Cardinalem Sabellum proposita causa
 „ Amburienlis præcedentia ad instantiam Patrum
 „ Capucinorum Oppidi Nulvi in Sardinia,
 „ contra Patres Minoras Observantes de Fa-
 „ milia ejusdem loci ; Sacra Rit. Congregatio
 „ auditâ utrâque parte in voce, & in scriptis
 „ plenè informante, visisque juribus hinc
 „ inde deductis, illisque mature discussis, cen-
 „ suit standum esse in decisis sub die 26. No-
 „ vemberis 1678. nempe præcedentiam de-
 „ beri Fratribus Minoribus Observantibus, &
 „ ita decrevit die 24. Februarii 1680.

Num. 18. Ex quibus ad præsens eruitur ar-
 gumentum, contra suppositum M. Verini, quo
 stabili-

stabiliter tenet ex Libro Antonii Lucci, quod Capucini eodem modo exierint ab Observantibus, sicut hi à Conventualibus. Nimis, si Observantes talem dicerent filiationem ad Conventuales, qualem Capucini (prout in superiori sententia patet) indubitate dicunt ad Observantes, tum eodem modo, ob identitatem rationis, vel haberent, vel impetrassent decretum, quo præcederent in actibus publicis Observantes, non obstante, quod hi antiquiorēm in eodem loco haberent Conventum; ubi tamen potius in contrarium plurificata exstant Decreta pro Observantibus in vina Leoninarum decernentia. Et quidem pro extractu nonnullo Leoninæ, quæ incipit: *Etsi pro injunctæ &c.* dat. Romæ die 20. Januarii 1521. cape sequentia:

„ Dilectis Filiis Fratribus Minoribus de Observantia nuncupatis, pro eo, quod ad illos jam multò major pars membrorum, & super positorum dicti Ordinis S. Francisci actualiter fuerit conversa, Ministrum Generalem illis de sua portione eligendum concesserimus, in eosque Jurisdictionem Ordinis Minorum in Capite, tempore Generalis Concilii Lateranensis contulerimus; prout olim, cum aliqua minor portio eorundem Fratrum ad Observantiam inclinasset (*en Observantia crevit in & non extra Ordinem*) universalis Ecclesia in Concilio Constantiensi, Vicarium ipsi portioni Minorum Familiae nuncupatæ, ut Regulæ purius insisterent, concessit.

Num.

Num. 19. Deinde post pauca præcedentia punctum Apostolico Decreto definiens ait: „Mo-
 „tu proprio, non ad ipsorum &c. Apostolicā
 „Authoritate statuimus, & Ordinamus, quod
 „de cætero in omnibus, & singulis Processio-
 „nibus &c. & aliis actibus publicis quibuscum-
 „que super dicto incedendi & standi Ordine,
 „& digniori loco sedendi &c. sive in Urbe,
 „sive in aliis locis, vel terris citra, & ultra
 „montes &c. inter Observantes hujusmodi Mi-
 „nores, & alios mendicantes prædictos hunc
 „Ordinem servari mandamus, quod Minores
 „Observantes hujusmodi antiquum semper
 „locum teneant, quem Ordo S. Francisci in
 „similibus actibus tenere hacenus consuevit &c.
 „Minores verò Fratres omnes Observantes, &
 „Conventuales, juxta literas nostras inter eos
 „per Nos editas, quæ Bulla Concordia nun-
 „cupatur, penitus incedere teneantur. „Ecce
 Observantes majorem Ordinis Franciscani par-
 tem, & antiquum Ordinem S. Francisci repræ-
 sentabant, & faciebant; ac ideo Ministrum Ge-
 neralem totius Ordinis Minorum habebant de
 suis; & Franciscanis antiquis præcedentiam in-
 ter alios mendicantes, cum proportione appro-
 bationis Apostolicae, & super Conventuales,
 confirmando Bullam Concordia decernit. Has
 deinde literas Leonis X. confirmavit in forma spe-
 cifica Clemens VII. dato Brevi, quod incipit:
Acceptimus, quod, licet &c. dat. die 20. Mart. 1531.

Num.

Num. 20. Cùm verò PP. Conventuales sub Sexto V. Pontifice, utpote ex ipsis ad Petri Cathedram assumpto, sibi favorem compromitterent, contra præcedentia punctum item contari voluerunt; at piissimus Pontifex Justitiae magis, quam affectioni deditus, per simplicem Cardinalium, & Prælatorum in causa deputatorum audientiam informatus, item vix natam voluit evanescere. Sub Clemente VIII. anno 1593. iterumque anno 1602. controversiam de novo suscitarunt, semper tamen per repetita S. Congregationis decreta repulsi; quorum Decretorum tenore (præter illud, quod suprà num. 7. habes) hic in Compendio exhibeo: „ die 26.

„ Novembri 1593. habita fuit Congregatio
„ Sac. Rituum, in qua propositâ causâ præce-
„ dentia inter RR. PP. Procuratores Generales
„ FF. Minorum de Observantia, & FF. Mino-
„ rum Conventualium Ordinis S. Francisci &c.
„ censuit Fratres Minores de Observantia &c.
„ &c.... constare dictum eorum Procuratorem
„ Generalem in Capella Pontificia ante Procu-
„ ratorem Generalem Min. Conventualium se-
„ disse. Quamobrem etiam censuit, dictum
„ Procuratorem Generalem Minorum Obser-
„ vantium in hac quasi possessione sedendi ma-
„ nutendum esse, si ita Sanctissimo Domino
„ placuerit.

Sequitur aliud: „ Viso Memoriali &c. super
„ præcedentia eidem Procuratori in Capella

„ San-

„ Sanctissimi ante Procuratorem Generalem
 „ ejusdem Ordinis Conventualium competenti:
 „ ac Decreto alias sub die 26. Novembris 1593.
 „ ad ejusdem Procuratoris de Observantia fa-
 „ vorem facto; Congregatio die 25. Januarii
 „ 1602. stetit in decisis, factaque eidem San-
 „ ctissimo Domino nostro juxta ejusdem San-
 „ ctissimi rescriptum de præmissis relatione,
 „ Sanctitas sua dicta Decreta approbavit, & ab
 „ iis, ad quos spectat, observari mandavit, &c.

Num. 21. Si forsitan benevolo Lectori fa-
 ctus sim insipiens differendo de debita inter Mi-
 noritas Observantium præcedentia, consideret
 quæsio, me hic similia nec vanè, nec inutiliter
 allegasse: Non enim defendimus præcedentiam,
 ut præcedentia est, nec antiquitatem ratione sui
 jactamus; quin potius tam ex uno, quam ex
 alio, necessitate coacti, inferimus, Observantes
 secundum tem, & nominis rationem à S. Fran-
 cisco institutos, & duorum primorum Minoriti-
 tanæ ætatis sæculorum Sanctos. Beatos, vi-
 tiosque illustres non solis Patribus Conventuali-
 bus competere, prout in titulo suo præferebat
 Liber, ad quem me inferius ex professo deducet
 Modestus Verinus. Sicque finis meæ disserta-
 tionis est utilissimus ex eo, quod ex similibus
 mediis, ratione sui non appetendis, nitar ostendere,
 quam professionem emiserint isti Sancti,
 quales ab initio, & sine interruptione professores
 habuerit Regula S. Francisci, qualiter de ipsius
 mente

mente Fratres ab ipso positivè instituti, debeant esse obligati; sìcque ab omnibus ità intelligatur, obscurum aliàs sistema Minoritici Ordinis, ut Observantes non censeantur esse laterales; non ità novi, ut de Sanctorum illorum primæorum non habeant gaudere Religionis conformatio, seu Ordinis unitate.

Num. 22. Cæterùm nec ego ignoror, ex merito antiquitatis titulo (nisi aliud ex ipso descendendum intendatur) vel parum, vel nihil laudis Specialis antiquiori Religioni accrescere, quia *cœni sunt sensus hominis*, & *atas senectutis vita immaculata*, ex oraculo cœlesti. Testes advoco commendatae nunquam satis Societatis Jesu, aliarūque post Franciscanam recentiorum Religionum doctissimas atque Sanctissimas Congregationes; quas non ab antiquitate, sed à multiplici Sanctorum splendore, continuoque in Dei, & Ecclesiæ obsequium Sanctiorum laborum exercitio, amplissimè celebrari, quis non fateatur? de reliquo Sancti sunt Capucini, Sancti Conventuales, Sancti sint etiam Observantes, in Capite quidem, & Corpore, sed non animo ab invicem divisi; utpote, quos ne dum Clericalis Ordo, sed & eadem Minoritana Regula tenet adunatos.

Num. 23. Visis nunc, quæ statuti, & confirmati Juris sunt circa Ordinem Observantinum, cuius Prjmicerius sele inscribit: *Minister Generalis*

talis totius Ordinis Minorum, ex ipsa quoque natura rei, & facti fundatam talismodi inscriptionis competentiam probemus: Ille competenter inscribitur Minister Generalis totius Ordinis Minorum, qui aliquando per 70. annos ita solus in totâ latitudine Ordinis Minorum Generalis Minister fuit, ut nullus Minoritarum Primicerius, præter ipsum sese auderet inscribere Ministrum; imò (quæ erit altera majoris pars) qui de facto adhuc solus ex Pontificia dispositione positiva, seu Decreto nominatur Minister, quod nomen, testante Leone X., Regula S. Francisci Capiti totius Fraternitatis à se institutæ, suisque legalibus successoribus imposuit; atqui Observantinus Minister est talis per totum, ergo &c. Probatur Minoris prima pars ex eo, quod imprimis PP. Conventuales ab anno 1517. in vim Leoninarum ita fuerint ab electione Ministri Generalis, tam activâ, quam passivâ exclusi, ut usque ad annum 1587. (en habes 70. annos) non elegerint, nec eligere ausi fuerint, sibi Generalem Ministrum, sed Magistrum suæ Familiz, solis Observantiae Patribus reservatâ, & usitata electione Ministri Generalis totius Ordinis Minorum. Imò dum aliquando PP. Conventuales F. Antonium Marcellum Cherinum, contra dispositionem Leoninam usurpato Jure, sibi sub titulo Ministri elegerant, Leo X. Pontifex electionem illam annullavit, ipsimque taliter electum, gravius correptum à se rejicit, & nonnisi sub

titulo

titulo *Magistri* posteā confirmavit, prout hæc omnia patent in Bulla, quæ incipit: *Nuntia-
rum Nobis fuit &c.* dat. Romæ 12. Julii 1517. Et quidem, sicut per tale tempus, 70. scili-
cet annorum, nullus extra **Corpus Observan-
tinum** erat Generalis, sic nec Provincialis ali-
quis dictus *Minister*, sed respectivè *Magistri*
fuerunt appellati & appellandi.

Num. 24. Adjecerim hic propriam Con-
fessionem ipsiusmet suprà memorati *Antonii
Marcelli*, ex fide Sacerdotis, seu ex Epistola
P. Mathia Weinsen, data ex Conventu Ant-
werpiensi 1518. die 20. Jan. ad *F. Wilbelmum
Alemariam Provinciæ Coloniensis Strictioris Ob-
serv. Ministrum*, in qua totius facti Leonini
speciem narrans, etiam inquit: *Romanum missus,*
cum (*V. P. Joanne Clapton*, totius Ordinis in
Romana Curia Procuratore comitante) Conven-
tum Apostolorum inviserem, Antonius Mar-
cellus, suis nos conspectibus advocans: *O, inquit,*
*Patres Observantia, Capitis nostri Coronam ab-
stulitis, & oculum nobis dextrum eruistis!* Qua-
rensi mihi, quid hac sibi parabolica querela pre-
tenderes, respondit: *Corona Capitis nostri Mini-
steriatus est Officium, & Ordinis Pralatura;*
oculus dexter est Conventus Parisiensis, ex quo
*velut oculis, ignorantia tenebris effugatis, scien-
tia lumine totus Ordo videbat. &c.*

Indo post suam electionem præfatus Antonius
Marcellus jurato spopondit, se cum titulo Ma-

gistro futurum contentum , prout legitur in Concordato , anno 1517. à die 8. usque ad 19. Julii facto coram Protectore Ordinis , & Notario , quo Minister Generalis totius Ordinis Minorum cum Magistro Generali Minorum Conventualium concordarunt : manu [ut restatur Notarius infra scriptus] pedes tangendo , more Pralatorum , mihi Notario stipulanti , & recipienti , vice , & nomine omnium , & singulorum , quorum interest , aut interesse poterit quomodolibet in futurum , se illa rata , grata , & firma habere , & habituros esse . Sicque fieri vidi , audivi , rogatus & requisitus . Jacobus Sketa Trebannus . En capta possessio utriusque tituli ; ubi secundum Modestum Verinum Minister Observantinus (stante etiam perceptione totius tituli Generalium Prædecessorum) fuisset ultra æquum defraudatus , si erga Ens ratum , non nisi entis rationis involucrum , & loco veritatis , magni nominis umbram dicatur accepisse , contra toutes contestatam intentionem summi Pontificis . Ubi forte dixerit aliquis cum Authore Ratiocinii Juventutis Franciscanae , quod in nominibus non sit ponenda vis , unde & adducit Bullam Clementis VII. ad instantiam PP. Conventualium declarantis , quod non obstante illâ mutatione nominum PP. Conventuales gaudeant omnibus Privilegiis , indultis &c. ; quæ sicut ego nullatenus nego , ita præter Confirmationem Leoninarum rationabiliter eruo , quod RR. PP.

Con-

Conventuales non hæsitassent, nec pro impe-
tranda tali declaratione instituissent, si cum M.
Verino Judicasset Observantinæ inscriptionis
prærogativam nonnisi in larvis & umbris consi-
stere.

Num. 25. Ex quibus, præsertim suprà dictis
agnoscitur, titulum *Ministri* fuisse Conventua-
libus interdictum, statim, ac per omnimodam
separationem ab Observantibus recesserunt, eo-
rumque Primicerios *Magistri Generalis Fratrum*
Minorum Conventionalium titulo fuisse nuncupa-
tos; quod, ut Ordinis monumenta præteream,
in pluribus præfati Leonis literis, atque subse-
quentium Romanorum Pontificum Clementis
VII. Pauli III. & aliorum usque ad Sextum V. in-
clusivè ad longum est videre. Paucas produco:
Clemens VII. in Bulla: *Religionis Zelus &c.*
1528. quibus Capucinorum Congregationem
approbavit, *Magistrum Generalem Minorum*
Conventionalium sacerdos nominat. Paulus III. in
Bulla: *Exponi nobis &c.* 1536. tum Genera-
lem, tum Provinciales, *Magistros Minorum*
Conventionalium sacerdos repetit; alias studio
brevitatis omitto.

Num. 26. Postquam autem 14. sibi succe-
dentes Conventionalium Generales *Magistrali* hæc
inscriptione, juxta iteratas statuti Leonini Con-
firmationes contenti fuerant, & esse debuerant,
quintus decimus illorum Primicerius, *F. Evan-
gelista Pelleus* Ministri Generalis nomen assump-
tit

Et quidem, ast (per quod 2da superioris minoris pars suprà probatur) quòd per *positivum* Pontificis Privilegium, & Decretum, revocatè hujusmodi Leoninâ prohibitiōne, titulus *Ministri Generalis* fuerit illis restitutus, nullibi usque hodie appetet; vel ostendatur; quo facto mēmet exhibeo ad hæc corrigenda paratissimum.

Scribit *Dominicus Gubernantis* in suo *Orbe Seraphico* Tom. 2. L. 6. cap. 14. quòd P. *Franchinus* Ordinis Conventualium Procurator Generalis, dum ab hoc tale Privilegium, si existaret, in suo de Conventualibus tractatu inserendum, ex mutua benevolentia & confidentia postulasset, ipsi sincere confiteri non fuerit veritus, positivum tale Privilégium, seu Decretum non extare.

Nem. 27. Nihilominus ex eo, quòd eorum Primicerii aliquando in nonnullis Pontificiis literis obiter & recitativè (nunquam definitivè) cœperint appellari *Ministri Generales*, cœperunt pariter sub Sixto V. ex Conventualibus assumpio, anno 1587. *Ministros Generales Fratrum Minorum Conventualium* sele inscribere. Quo anno suprà memoratus F. *Evangelista Pelleus Senensis* legitur omnium primus sub titulo *Ministri Generalis* fuisse electus; cùm eisdem adhuc anno 1581. P. *Antonius Fera de Plano Castanearum Agri Senensis*, summus sui ævi Theologus fuisset sub titulo *Magistri Generalis* electus. Quin & S. *Pius V.* ipsorum Conventualium Reformatiōuem approbando, per literas suas: *Illa Nos cu-*

ra &c. dat. Romæ 1568, 10. Kal. Augusti, Magistros Generales, & Provinciales Min. Conventualium stylo invariato semper appellat. Et Sixtus V. (ut supra dictum) ex eisdem Conventionalibus assumptus in Bulla: *Ex superna dispositionis &c. dat. Romæ 1585. 12. Kal. Decemb.*, per quam Archi-Confraternitatem Cordigerorum S. Francisci in Assisiensi ipsius Sancti templo instituit, semper Generalem Magistrum Ordinis Conventionalium alloquitur; in Bulla autem Sixti V. de anno 1587. dic. 18. Octobris, que incipit: *Divina Charitatis altitudo &c.* Generalis Conventionalium superior bis Magister, & etiam bis Minister Generalis appellatur, quod ex Abbreviatoris, aut Typographi potuit errore accidisse. Eodem autem anno, quo Sixtus V. prefatam Bullam edidit. dedit quoque aliam, quæ incipit: *Et, si Mendicantium &c.* in qua Observantibus confirmat omnes Gratias, concessiones, facultates, Privilegia, favores, prærogativas, & indulta, tam Corporalia, quam Spiritualia à suis Prædecessoribus concessa, utique non sine, sed cum confirmatione contentorum in Bullis Leoninis. Interim hæc omnia in Compendium redigendo: Ministri Generales Ordinis Minorum Conventionalium ante Bullam unionis 1517. nullibi reperiuntur, sed ab ante vel Ministri Generales Ordinis Minorum simpliciter; vel post nonnullam Ordinis quoad modum regiminis divisionem, cum addito: tam de

Observantia, quām *Conventualium* appellati sunt. Et anno ipso 1517. per Bullam: *Omnipotens Deus &c.* & alias subsequentes, *Conventuales* ipsi ab *Observantibus* totaliter separati, ut visum est (saltē per 70. annos) prohibiti fuerunt superiores suos nominare *Ministros*, sed *Magistri*, etiam adhuc à *Sixto V.* appellati sunt. *Observantes* econtra nunquam catuerunt *Generals Minister Ordinis Minorum*, ex quo cunque demum *Ordinis* membro fuere assumpti; sicque ab ipsis *Ministrorum Generalium* continuatā, & non interruptā serie ab ipso *Institutore Francisco* usque ad modernum *F. Petrum Joannetium de Molina*, juxta *Regulæ præscriptum*, sub *título*, & *prærogativis* suorum *Prædecessorum* electum, 86. *Ministri Generales* enumerantur.

Num. 28. Hujusmodi *Seraphica* in Religione præminentiam Capitis ex *Observantibus* assumendi, ab illo *Observantiae Corpore*, quod ab *Ordinis initio* in *Regulæ puritate* permansit, originatam fuisse testatur *Leo X.* in prædictata *Bulla* dicens: *Et ne Caput suis membris difforme appareat, volumus, & etiam Ordinamus, quod nullus Frater possit eligi in Ministerum Generalem, nisi vitam ducat reformatam, & pro Reformato à Communitate Reformatorum habeatur.* Imò inter plures alios summos Pontifices in suis literis definitive loquentes, idem *Leo* Pontifex in *Bulla*: *Licet alias &c.* dat. die 6. Decembris 1517. originem *Observantium* declarat dicens:

Quod

Quod ipsi Fratres de Observantia, & Reforma-
ti, veri & indubitati (nedum Filii & Fratres S.
Francisci, sed &c) Ordinis S. Francisci, & ejus
Regula Observatores semper fuerint, & divinâ
favente gratiâ sint futuri sine aliqua interruptio-
ne, vel Divisione, à tempore edita Regula S. Fran-
cisci usque ad præsens. Ecce Observantes, non
qualemcunque ducunt à S. Francisco, ejusque
Regula originem, sed immediatam, imò nec
immediatam solum, verùm etiam usque ad præ-
sens sine Divisione nedum à professione origina-
ria, sed & sine divisione à Capite Ordinis,
quod in Leonina Ordinis Divisione secum sump-
serunt, mitigatis in aliud Corpus separatis.

Num. 29. Ut jam illud, quod suprà probare
assumpsi (scilicet nullum per longissimum tem-
pus in tota latitudine Ordinis Minorum, sine
repellenda audacia, nominare se potuisse Mini-
strum Generalem) pleniùs, & ex omni parte pro-
bem, videndum est, quid Juris sit de Familia
Capucinorum, quæ incirca decennio post præ-
fatam Divisionem Leoninam, à nonnullis sepa-
rantibus se à Corpore, & Capite Observantino
(propterea nullatenus immutando) fuit inchoa-
ta, & deinde fructuosissimè multiplicata. Pro-
fectò hæc Sacra Familia Generalem quidem ab
initio superiorē habuit, sed nonnisi sub titulo
Vicarii Generalis à Magistro Generali Ordinis
Conventualium intrà triduum confirmandi. Et
quidem taliter, & sine Ministro Generali sub

Conventualibus steterunt, subque eorum cruce
in Processionibus publicis incesserunt, ferè per
seculum; donec scilicet anno 1619. Paulus V.
per Bullam, quæ incipit: *Altas felicis &c.* dat.
28. Jan. Capucinos ab hujusmodi subjectione,
& dependentia eximens, iisdem concessit, Con-
firmationem electi sui *Vicarii Generalis* à Con-
ventualium Pr̄limicerio peters amplius non tene-
ri, quam proinde modò petunt à Papa. De
appellatione autem Vicarii Generalis Capucino-
rum, sicut & Vicariorum Provincialium per
seculum, constat imprimis ex p̄fata ferè cen-
tenaria subjectione, & ex formulis confirmatio-
num factarum; deinde inter alias plures Bullas
Pontificias ex ipsa superiori adductas Pauli V. *Altas*
felicis &c. Quod autem *Ministri Generalis* tiu-
lum ex Apostolico indulto impetrare voluerint,
mihi hucusque constare non potuit, nisi forte
in alio ejusdem Pauli V. Brevi: *In supremo &c.*
die 29. Oct. eodem anno 1619. tituli mutatio
facta intelligatur per hoc, quod in eo decernat-
ur, ut *Generalis* (non additur *Minister*) Capu-
cinorum ad sexennium, & non ultra in Officio
durare permittatur. Sicque longissima in binis
aliis Minoritanis Familias tituli Ministeriaris in-
terruptio ad oculum patet, exspectaturque
ostendi Decretum, quo tituli illius prohibitiō
revocata, & illius usus positivē introductus fuit.
Concedo interim, quod modò usus obtineat, ut
in Pontificum etiam Bullis & Decretis, tam

Capu-

Capucinorum, quam Conventualium Generales
Ministri appellantur; quo non obstante iuster
Superior remanet in antiquiori possessione suæ
Inscriptionis: *Minister Generalis totius Ordinis
Minorum.*

Num. 30. Videtur R. P. Hierotheus satis
advertisse, quod hæc ianitas intervalli hiare fa-
ceret concinnitatem, eamque interjectione septua-
genarii ad minus vacui notabiliter distingueat;
unde in Epitome sua historicâ pag. 514. postquam
omnes S. Francisci successores, usque ad F. Ber-
nardinum Pratum, divisionem Leoninam im-
mediatè præcedenteim, enumerasset, & quidem
sub hac inscriptione: *Ministri Generales Ordini-
nis Minorum indivisi*: cautissimè pro subsequen-
tibus hanc suam inscriptionem variat, inscribit-
que: *Generalis Minorum Conventualium*, deinceps
ex *Generales Minorum Observantiam*, & tan-
dem *Generalis Minorum Capucinorum*, præficien-
dendo à *Ministris*, atque etiam à *Magistris*. Ubi
quidem ipsi aliquatenus ignoscendum est, quod
non posuerit, uti debuissest (saltè ad tempus in-
tervalli supra memorati) *Magistros*, & respe-
ctivè *Vicarios Generales*; ignoscendum inquam,
quia sicut Capucini ipsum *Vicarium*, ita & Con-
ventuales Magistri nomen libentius dissimulant;
At non æquè dissimulauerit ferunt Observantes,
quod ante propositam Observantiorum seriem
non addiderit nomen *Ministrorum*. Cùm tamen
Leo X. hos iostem (incipiendo à Christophoro

Numajo , suprà memorati *Bernardini Prati*, ejusque tituli , ac privilegiorum omnium legali successore) voluerit dici & esse *Ministros Generales* ordinis Minorum , & quidem , eatenùs saltèm , *rosis* , quatenùs in tota latitudine ordinis Minorum , extra hos ipsos nullum alium voluit esse superstitem Generalem *Ministrum*. Quidquid longè expost alii Pontifices permiserint potius , quam positivè ordinaverint , ut supra ostensum.

Num. 31. Si dicas , quòd Observantes à tempore Concilii Constantiensis usque ad Leonem X. , sicque per spatum 86. annorum , etiam subjecti fuerint non *Ministris* , sed duobus , pro Familia scilicet Ultra - & Cismontana , respectivè *Vicarius Generalibus* ; adeóque non absimili subjacent Ministeriatùs intervallo & vacuo . R. Observantes sic dicti *de Familia* , seu *sub Vicarius* (de Clarenis , Coletanis , Amadaitis , de S. Evangelio seu *Caputio &c.* qui dicebantur Observantes sub *Ministris* , & ex quibus omnibus , per Leonem X. Corpus Observantinum unitum est , nequidem currit talis objectio) illi inquam Observantes per assignatum spatum per omnia fuerunt subjecti Capiti ordinis , sicque habuerunt *Ministrum Generalem* , cuius bini *Vicarii Generales* immediate vices supplebant. Imò & illi Fratres *de Familia* ipsis usque adeò obediebant *Ministris Provincialibus* : quia obediens *Ministri Vicario* , *Ministro* obediens dignoscitur , quod non indiget exem-

exemplificatione, utpote quæ ubique occurrit. Et licet Ministri illi non potuerint (stante ordinatione Concilii Constantiensis) illos impedire in modo specialis regiminis suorum subditorum, omnes equidem sufficienter stabant sub cura, & Jurisdictione Ministrorum, ut pater ex literis F. Petri de Sora Ministri Provincialis in Umbria ad ipsum F. Paulutum de Trincis Fratrum *de Familia* antesignanum: „Charissime F. Pauluti! „devotioni tuæ injungo ad meritum salutaris „obedientiæ per præsentes, quatenus supra „dictæ meæ commissionis officium, atque cu- „ram absque ulla excusatione recipias, & exe- „quatis cum diligentia, secundum gratiam tibi „à Deo datam. Fratres verò præfatorum loco- „rum... teneantur tibi, sicut mihi, per salu- „tatem obedientiam firmiter obedite, quos tibi, „rèque illis chariùs in Domino commendo. Apud „Wadding. Tom. 9. pag. 42. Num. 29.

Num. 32. Legitur etiam, qualiter anno 1459. *F. Zegerius de Dismonda* Vicarius Gene-
ralis Familiae Ultra-Montanæ, in literis circula-
ribus ad suos subditos Observantes, se nequidem
nominaverit Vicarium Generalem absolutè, sed
Vicarium Ministri Generalis, dum suis literis sic
præmittit: *F. Zegerius Generalis Vicarius Rni.*
Patris Ministri Generalis ordinis Minorum, qua-
tum ad Fratres vulgariter de Observantia nuncu-
patos salutem &c. Item anno 1462. *F. Ludori-*
eus de Vicentia Vicarius Generalis Familiae Cis-
mon.

montanae electus, in literis ad F. Jacobum à Sar-
 zuela Ministru[m] Generalem sic ait: „ Precor igi-
 „ tur, oróque pro meo virili tuam Rmam Pater-
 „ nitatem, ut Filiorum devotionem suscipiens,
 „ sic nos, paternâ benevolentâ, & pietate pro-
 „ sequareis, quod nos quóque in te Libetorum
 „ officium, quemadmodum vehementer opta-
 „ mus, exerceisse conducat. His enim mune-
 „ ribus, quibus nihil in hac vita dulcius, nihil
 „ Domi salubrius, forisque consultius; sic nos
 „ Christi amor devinciat, ut & tu Pater, & nos
 „ Filii apud Deum, & homines suavissimo cuni-
 „ odore vivamus &c. Ecce qualis illorum ob-
 servantium à Capite ordinis toties nobis objecta
 divisio. Vide apud Waddingum ad ann. 1461.
 n. 15. ubi insimul invenis literas ejusdem Mini-
 strî Generalis confirmantes Vicarium Generalem,
 ut sequitur: „ In meum Vicarium Generalem
 „ Ultra-Montanum, quoad Frates omnes de
 „ observantia vulgariter nuncupatos, confiso,
 „ & confirmatum denuncio per præsentes, man-
 „ dans tibi, & præcipiens, quantum mihi incum-
 „ bit, ad meritum obedientiæ salutatis, ut præ-
 „ fatum Vicariatus officium... exerceas, dando
 „ tibi omnem autoritatem meam in utroque
 „ foro... præcipiens insuper omnibus, & fin-
 „ gulis, præsentibus, & futuris Fratribus dictæ
 „ Familiae per obedientiam salutarem, ut tibi
 „ tanquam personæ meæ... pateant, & obedi-
 „ ant. „ Ubi sanè non loquitur ad illos, qui rel-
 pectu ipsius foris erant. Num.

Num. 33. Objicit Mod. Verinus pag. 211.
 Quod titulus Generalis Ministri in Primicerium
 observantium non descenderit ex hereditario jure,
 & per naturalis successoris viam, ut anteriora
 tempora respicientibus patet; sed per nostram in-
 stitutionem Leonis X., sine qua Christopherus
 Numajus, prout erat, Vicarius Generalis man-
 fisset. q. rogando Mod. verinum, de quoniam
 Jure hereditario, & de quoniam naturalis suc-
 cessionis via, dum loquitur, sibi libeat loqui?
 Sanè in iis, quæ liberæ electionis sunt, non datur
 persona particularis, quæ jus hereditarium præ-
 tendat; neque in his datur naturalis successio. Si
 autem aliud forte velit significare, quam his ver-
 bis dicere, peto: quid electioni Christophori
 Numaji, vel quoad libertatem, vel quoad aliam
 conditionem Regulae, aut juris defuit? Electus
 fuit in Vigilia Pentecostes, prout vult Regula:
 Electus in loco convocati per ipsum Leonem X.
 Capituli Generalissimi, & à convocatis: Electus
 à Ministris Provincialibus, & custodibus, ut si-
 miliiter requirit Regula; inter quos quam plu-
 trimi erant ex Clarenis, Celetanis, Amadaitis,
 de S. Evangelio, seu de Caputio, qui se dicebant
 Reformatos de Observantia Regulari, & quod
 juxta Regulam haberent Ministros; & hi insimul
 sumptu magna partem Capituli constituebant,
 etiam seorsim à Conventualibus exposit abite jus-
 sis, seorsimque pariter ab Observantibus sub-

Vita.

Vicarius, seu *de Familia*. Electus demum fuit etiam ab his jam dictis Vicariis Provincialibus; at non quā talibus, sed postquam Leo Papa illos declaraverat *Ministros Provinciales*, ne vel minimum in tali electione sonaret præter Regulam; & hoc ipsum per Papam legitimè fieri potuisse, iterum rogo, ne negaveris. Et tandem hanc electionem factam Leo X. definitivit, esse *Canonicare*, & secundūm Regulam *S. Francisci*. Sicque per viam, non tam naturalis, quam regularis, & *Canonicæ electionis*, & *successionis* introivit ipse, & post ipsum alii successores ejus in omnia Jura, & in titulum subsistentem suorum Prædecessorum respectu totius Ordinis *Minorum S. Francisci*.

Num. 34. Si dicas, *Ministros Conventualium* ipsum non elegisse, imo respectu illius electionis per quam invitòs fuisse: verum dicas: quia Papa eos, quantumcunque invitòs ab electione *Ministri Generalis* totius *Ordinis Minorum*, seu *S. Francisci* (qualem eligendum in Bulla: *Ite & vos &c.* statuerat) tam active, quam passivè excluderat, atque inhabilitaverat, ad aliam instituendam electionem, circa quam se per alias literas dispositurum dixerat, dimisso. Quod iterum cave, ne dixeris, viam electionis, & successionis regularis ipsius *Christophori* impedivisse. Hoc ipsum, ut capias, quæro: si defacto fieret statutum in Ecclesia Dei, ut Petri successor ex- & à solis Cardinalibus

Pres.

Presbyteris deinceps eligeretur, seclusis tam active, quam passim Cardinalibus non talibus ab hujusmodi electione; nunquid taliter ex-post electus legitimè subintraret per viam, non quidem *naturalis*, sed *Canonicæ electionis*; cum Ecclesia sit suprà Canones præsentes? & quid hic tunc juvaret *antiora tempora* aut exclusionem aliorum contra taliter electum allegare, aut obtrudere? Ad hæc: nunquid talis taliter electus Pontifex tunc foret potius dicendus *Canonicè electus*, quam per novam Ecclesiæ institutionem datum, seu institutus? Præsertim cum electio personam illam particularem respexit, verùmque Pontificem effecisset; & non ita nova talismo-di *Ordinatio Ecclesiæ*, utpote, quæ quidem causa fuisse talis electionis, seu electionis taliter facienda, non autem causa talis electi in Pontificem. Ad nostrum casum adhuc addo, quod Mod. Verinus non possit cum fundamento dicere, Christophorum Numajum, seclusâ dispositione Leoninâ, in Capitulo illo Generallissimo (in quo tunc pars Observantina, utpote jam cum quatuor aliis suprà nominatis unita, pluralitate votorum prævalebat) non fuisse eligendum, sed mansisse, sicut prius erat, Vicarium Generalem magis, quam (si in superiori supposito Petrus E. G. Decanus Cardinalium in Pontificem supponatur electus) dicere posset, ipsum Petrum, seclusâ tali ordinatione Ecclesiæ, non fuisse electum, sed mansisse, si-

cut

cut prius erat, Decanum Cardinalium: in utroque enim casu equidem adhuc stetisset electionis libertas. Nescio proinde, quo se se dieteria immergant, aut quā datā portāruant.

Num. 35. Objicit ulterius Mod. Verinus ex suppositione pag. 210. dicens: „ si Papa sub-
 „ traheret om̄em dispositionem modernam,
 „ id est, si abrogaret Eugenii IV. & Leonis X.
 „ Bullas, quæ Observantinæ formæ particula-
 „ ris regiminis, tum & loco Generalis Vicarii
 „ Ministrum Generalem dederunt: si quoque
 „ abrogaret Breve Pauli V., quod Capucinis
 „ Ministrum præfecit (quaest, si hoc Breve sit
 „ aliud ab eo, quod suprā n. 29. adduximus, no-
 „ minetur, & legatur) & si modis his universos
 „ totius Ordinis Fratres reduceret ad Observan-
 „ tiam literalem hujus præcepti, Cap. 8. Reg.
 „ Unirer si Fratres unum de Fratribus istius Reli-
 „ gionis teneantur semper habere Generalem Mi-
 „ nistrum [ubitalis per 70. annos suprā men-
 „ tionatos apparuit?] & servum totius Frater-
 „ nitatis, & ei teneantur firmiter obedire; quo
 „ decadente elettio Successoris fiat. Quero, ut
 „ Matareno stylo pergami differere, quapro in-
 „ quam, cui ex tribus modis respectivè præsi-
 „ dentibus Generalibus, in tali casu teneren-
 „ tur se Minores omnes submittere? Respon-
 „ sio erit in promptu: forent enim co ipso illi
 „ subiecti, qui ante Eugenium IV. & ante
 „ tem-

tempora Leonis X. Minister totius Ordinis, &
servus totius Fraternitatis erat, Conventua-
lium nempe Rectori.

Num 36. Ante Respcionem, quam da-
bo ad singula, quero: si Petrus ex superiori
supposito ex Decano Cardinalium in Summum
Pontificem electus, ipsemet mentionatam no-
vam Ecclesiæ ordinationem, ante suū electio-
nem factam tolleret, & Canones circa electio-
nem Papæ ad pristinos usus reduceret: fieretne
ille ex hoc statim ex Summo Pontifice non Pon-
tifex, seu Cardinalium Decanus? Diceres uti-
que, quod non; quia talis juris novi ad jus
vetus reductio non respiceret annulationem
electionis, ab ante juxta jus novum adhuc li-
gans legitimè factæ, sed solum, taliter electo
defungente, regularet iterum futuras electio-
nes successorum ejus. Sic planè à pari, in Mod.
Verini supposito, modernus noster superior Ge-
neralis F. Petrus Joannetus de molina, sub ocul-
lis, seu praesidente feliciter modò regnante Be-
nedito XIV. 1750. in *Ministrum Generalem*
totius Ordinis Minorum electus, maneret talis,
quia electionem subsequens ejusdem moderni
Pontificis supposita Juris Leonini ad jus vetus
reductio, non tenderet in casationem electio-
nis jam factæ; sed regularet solum electiones
futuras, post defunctionem illius, qui agnos-
ceretur esse in possessione legitimæ electionis.
Cùm autem Mod. Verinus in suā suppositione

ipsemet declaret , quod inā cum observantibus , etiam ii , qui in vim Leoninarum separati sunt , eō ipso censerentur subjecti *Ministro Generali* totius *Ordinis Minorum* ; concedere etiam deberet , illos eosdem ei , de quo jam diximus , esse , seu fieri subjectos : cūm ille solus , sicut modo est , ita & in factō supposito adhuc foret Minister totius Ordinis Minorum , saltē usque dum fieret nova electio ; de qua , quid tunc sentiendum , dicam statim . Dum autem Mod. Verinus ad nullius captum dicit , in promptu fore , quod omnes tunc eo ipso subjicerentur et , qui ante Eugenium IV . & ante tempora Leonis X . Minister totius Ordinis erat , scilicet *Conventualium Rectori* ; Rogo , ut nobis dicat illius nomen : quia titulus ille juxta Regulam , imò & ex natura sua , nequit convenire , nisi personæ individuali , quam , si inquiras ante tempora Eugenii IV . , mortuum haberemus omnes suppositum caput ; si autem modernum nominaverit Rectorem Conventualium , ipse talem titulum nunquam portavit ; neque per sublationem juris Leonini prae cisè illum acciperet , utpote ad illum nunquam electus , fieretque per tale suppositum duntaxat eligibilis , qui illo secluso eligibilis non est .

Num. 37. Quod , si etiam Papa jura Leonina , aliisque juxta Mod. Verini suppositum , nedum tolleret , sed & nostrum Ministrum suo illimitato titulo exueret , novamque mandaret
institui

institui electionem Ministri Generalis totius Ordinis, ad quam omnes Minorum Ministri Provinciales, & custodes Capucinorum, Conventualium & Observantium, tam activè, quam passivè deinceps, tanquam in uno Corpore per suppositi fictionem constituti, concurrere deberent, ut sic unus numero Ordo, unicum etiam caput acciperet; profectò penes Observantes staret ex sua factione eruere tale caput: quia sicut Provinciarum, ità & votorum pluralitate Conventuales, & Capucinos simul sumptos longissimè superarent. Deinde more suo in æquivoco laborat Mod. Verinus, dum dicit, ante Leonem X. Observantes subjectos fuisse Conventualium Rectori: nam eadē veritate ego dixerim, Conventuales Observantium Rectori fuisse tunc subjectos, quia stante tunc Ordinis unitate, unus, idémque erat Rector omnium; ex eo autem, quod Generalis ex una Ordinis compositi Familia assumatur, sine æquivocatione (quæ mater deceptionum est, atque fallaciarum) dici nequit Generalis talis Familiae seorsim nominata; sicut modernus noster Observantinus, defacto ex Reformatis sumptus, æquivocè diceretur: *Minister Generalis Ordinis Minorum Reformatorum*; Idem exemplificatur, dum eligitur E. G. Italus, si Generalis omnium diceretur Generalis Italorum. Quibus omnibus bene consideratis, nescio, an Mod. Verinus fundatè sibi adscribat

victoriam contra id, quod ego dixeram; ex supposito: si modernus Papa dispensativas solummodo tolleret quoad præceptum Cap. 8. Regule suprà adductum, dispositiones, omnes alios eo ipso subjectos intelligi Ministro Generali totius Ordinis, qui sape sèpiùs declaratus est *legalis*, & legitimus S. Francisci successor, & qualis præter ipsum nullus adhuc declaratus est aliis. Imò an hujusmodi successores (intellige, non equivalentes, quod de pluribus facile concesserim, sed legales & hierarchici) plurificari possint respectu S. Francisci quà primi Generalis, dubito ex illo Regule: *unum habeant &c. quo decadente electio successoris fiat &c.* ex quo antiqui Ordinis Patres eruerunt, quòd S. Pater Ordinem suum voluerit esse imaginem vivam S. Romanæ Ecclesiæ; quæ etiam, si ex dispensatione Christi hodie acciperet adhuc aliud à Romano independens caput, novam quidem hierarchiam hoc cum membris suis inchoaret caput, Romanam tamen hierarchiam in sua successione non turbaret; multò minus in ejus locum subintraret.

Num. 38. Ulterius pag. 212. Mod. Verinus, ut mihi ob oculos ponat, quàm parum evincant discursus, qui ex (SI) sive ex merè possibilibus contra adversarios prolixiuntur; aliud adhuc per (SI) mihi opponit suppositum dicens: „ Si Benedictus XIV. Feliciter nunc regnans Papa, in nonnullis alteraret Leonis

„ X. Bullas : *Ite & vos &c. & : Omnipotens*
 „ *Deus &c.* ac , prout Leo Clarenos , Ama-
 „ dæitas , Fratres de Caputio , & Coletanos
 „ Fratribus de Familia , id est , Corpori Ob-
 „ servantino inseruit , & univit , modò Mino-
 „ ribus Capucinis Conventuales , Recollectos ,
 „ Reformatos , Soccolantes , & Discalceatos eā ,
 „ quā pollet , plenitudine potestatis unitet ;
 „ Sique sicut Leo X. istam , ità & ipse unionem
 „ hanc his jussis firmaret : *Ex quibus omnibus in-*
 „ *simul unum Corpus facientes , eodem perpetuò*
 „ *ad invicem unimus , ità , quod de cetero ,*
 „ *omissâ diversitate nominum praedictorum , Fra-*
 „ *tres Minores Capucini nuncupentur , & nun-*
 „ *cupati possint , & debeant : omnesque &*
 „ *singuli uniti Generali Capucinorum Ministro*
 „ (*N.B. Leo loquitur taliter de Ministro totius*
 „ *Ordinis*) *in omnibus , & per omnia secundum*
 „ *Regulam subjiciantur. Si inquam moderatus*
 „ *Papa circa Minorum Ordinem ità disponeret ,*
 „ *superflua foret quæstio , cui ex tribus modò*
 „ *respectivè præsidentib[us] Generalibus in tali*
 „ *casu tenerentur se omnes Minores submittere .*
Subintelligit utique Capucinorum Generali.

Num. 39. Respondeo imprimis , sinistre ,
 iterumque æquivocè capi factum Leoninum à
 Mod. Verino : Leo X. námque Corpori Ob-
 servantino non incorporavit quatuor alias Refor-
 mationes ; sed postquam illas und cum *Obser-*
vantibus de Familia enumerasset , subjungit : ex

quibus omnibus unum Corpus facientes, illos per-
petuò uniuersos. Et quidem tales omnes non minus
se dicebant Observantes, seu, ut supra addu-
xi: de Observantia Regulari, ac (sicut simul
sumpti) ipsos Observantes de Familia, seu sub
Vicariis, suppositorum numero superabant;
Major autem pars non dicitur incorporata Mi-
nori, nec bene ad invicem dicantur unitas,
quod bene advertendum erit, quando devenie-
mus ad paritatem suppositi. Ex prænominatis
itaque Reformationibus omnibus unum Corpus
fecit Leo X. quod sublatâ diversitate nominum,
seu Cognominum prædictorum, voluit Obser-
vantium dici. Nec præcepit, ut omnes uniti
Ministro Observantium secundum Regulam
subjiciantur (in quo est æquivocatio Modesti Ve-
nni, quoad Ministrum Capucinorum in facto
supposito) cum Observantes, si illos sumas pro
cepsa parte supra expressorum, non haberent
adhuc Generalem, cui alii se submitterent, sicut
nec alii, nisi Bernardinum Pratum jam defun-
gentem, ex Conventualibus stante adhuc unitate,
assumptum; quin potius præcepit, ac voluit,
ut, ex quinque his in usum unitis Reformationi-
bus, cum plena allâ libertate unum omnes eli-
gerent in Ministrum totius Ordinis Minerum,
quem titulum saepius repetit, inculcat, ac decer-
nit. Quod autem expost pluralitas votorum
(NB. 69. ipsi deerant per alios dispersa) cecide-
rit super Christophotum Numajum, Observe-

tiae

tinæ Familiaæ Cismontanæ Vicarium Generalem,
 per accidens fuit, non ex dispositione Leonina,
 quæ nullum reformatum excluserat. Ità etiam
 in supposito Mod. Verini, planè per accidens
 foret, si in ejus formato supposito ex Reforma-
 tione Capucinica eligeretur totius Ordinis Mini-
 ster; maximâque deberet si nul supponi inter
 modernas Reformationes Observantinas discor-
 dia, seu votorum discordantia: utpote quâ se-
 clusâ, vel sola etiam (præcindendo ab aliis)
 Recollectina Reformatio pluralitate votorum
 Capucinos superaret. Interim concedo, quod
 in tali casu, taliter suppositæ unionis, si à parte
 Capucinorum, seu ex ipsis aliquod individuum
 eligeretur ab omnibus per suppositum unicis,
 quod talis tunc foret legalis, & legitimus S. Fran-
 cisci Successor: quia à Corpore Ordinis fuisset
 ut talis electus secundum Regulam, quæ non
 impedit, nec impedit potest Pontificias circa
 talem electionem dispositiones, etiam novas, &
 novas; essetque Ordo solum accidentaliter mu-
 tatus: tum propter accessionem novi nominis:
 tum ob restitutionem novæ partis aliâs separate,
 veluti, dum in Concilio Florentino Graci uni-
 bantur Latinis, seu Romanis, sive tamen nomi-
 nis mutatione. Neque Primatus Ordinis foret
 tunc ullatenus translatus, cum (præterquam
 quod Capucini ad electionem activam & passi-
 vam admitterentur, sicuti per Leoninas Con-
 ventuales exclusi fuerant) in- & ex eodem mora-

littere Corpore fierent electiones : Vocarenturque
deinceps *Capucini*, qui alias *Minores Observan-*
tes, dicitur tuerant. Ecce, quomodo ambo forte
ad naufragium Lectoris, laboraverimus in suppo-
sitione ! quia tamen ejusmodi supposita non tardè
deserviunt ad statum questionis melius penetrان-
dum, non recusat cum supponente supponere,
quidquid Mod. Verinus veluti rideat, me ad si-
num metu possibilium vel semel recurrisse.

Num. 40. Devenit nunc ad punctum, quod
Mod. Verinus mihi peccatum improbat, &
ratione cuius (veluti, si usque Romanam pec-
casse) inter cætera apud sui Ordinis Procurato-
rem Generalem me accusavit ; nimirum, per-
functoriè contra R. P. Hierotheum dixeram,
titulum illum : *tuum Ordinis Minorum non esse*
vacuum, seu ad solam speciem; sed, præter-
quam, quod in Capite 8vo Regule fundetur,
Jurisdictionem quandam habitualem in separa-
tas etiam Minoritanas Familias indicare: ubi bo-
num mihi erat, quod Romæ quodammodo re-
sident omnium Jura Ordinum, quæ & pro
purgatione Canonica nonnulli in hac parte addu-
cam: præmittendo intprimis, quod Leo X. in
Bulla: Omnipotens Deus &c. quæ & Concordia
nominatur, sic declarat: Dicatum Antonium Mar-
cellum in Magistrum Generalem Fratrum Con-
ventuelium electum coram Nobis praesentem in Do-
mino benediximus, ac benedictionem nostram bu-
jusmodi pro confirmatione, quam à prefato Mi-
nistro

nistro Generali [sicilicet Observantino] petere te-
nebatur, pro hac vice duntaxat sufficere volui-
mus. Pro futuris autem temporibus subjungit:
Prefati Antonii Magistri Generalis successores, ab
iisdem Fratribus Conventualibus pro tempore ele-
cti, Confirmationem ab eodem Ministro Generali,
& Successoribus suis Ministris Generalibus totius
Ordinis, quemadmodum Vicarii Generales, tunc
de Familia nuncupati, petere tenebantur, petere
reaneantur: & quid Magister nunc, & pro tem-
pore electus ad regimen Fratrum Conventualium
S. Francisci, juxta dictam ordinationem nostram,
Magister Generalis Fratrum Conventualium in
perpetuum appellari debeat. Deinde cayet, ne
Ministri tam Generales, quam Provinciales
Conventualium regimini nullatenus se introuint,
aut aliquam Jurisdictionem, vel superioritatem in
ipsos exercere valeant; præterquam, cum ipsum
Ministrum Generalem, pro tempore existente ad
ipsorum Conventualium domos, & loca declinare
conigerit, quo casu ipse Minister eosdem Fratres
Conventuales paternè visitare; ipsique Fratres
Conventuales eundem Ministrum Generalem, tan-
quam totius dicti Ordinis superiorēm, omni Cha-
ritate, & dilectione recipere debeant: dummodo
idem Minister Generalis pro tempore existens nihil
Judicialiter circa ipsos Fratres Conventuale, &
domos eorum, ac loca &c. exerceat, nisi eo modo,
quo olim Minister Generalis super Fratres de Fa-
milia &c.

Num. 41. Ex quibus, quantum ad PP. Conventuales (postea quoad Capucinos) sic arguo: si Observantes de Familia (prout Mod. Verinus plures inculcat) ante Leonem X. fuerint subjecti Ministeri Generali Conventualium (quod verum est, quatenus ex eorum tribu Minister Generalis totius Ordinis electus fuerat, non autem quatenus ex illa eligi de Jure debuerat) ergo etiam vi Leoninarum ipsi Conventuales ad illum Ministrum ex Observantibus de cetero eligendum aliquam dicent subjectionem, irtote quam Leo X. regulavit ad eundem modum, quo Observantes de *Familia* ab ante subiectebantur tali Ministero, prout non semel in Bullis suis repetens idem Leo exprimit; sicut autem subiectio illa Observantium de *Familia* potissimum erat respectu Capitis Observantini à Minister Generali totius Ordinis confirmandi; sic post Leoninas ceteras subiectio in Capite osterritur, quatenus Minister Generalis totius Ordinis jus habet confirmandi Caput Generale à Conventualibus electum; quod jus nullibi ostenditur revocatum, nec contra illud prescriptum, uti postea ostendam. Et propterea dixi, titulum *Ministri Generalis totius Ordinis Minorum*, non esse vacuum nihil, non umbram, non larvam &c. sed fundatum quid in Jurisdictione quadam habituali. Forte alius, quam ego, diceret actualem, ex eo, quod hujusmodi jus actuale non consistat in agere, seu confirmare, sed in con-

firma-

firmare posse : cùm Jurisdictio nihil aliud sit
quàm jus dicendi facultas, seu potestas; habet
autem per se loquendo Minister Generalis totius
Ordinis facultatem jus dicendi circa electionis
suprà dicta subsistentiam, utpote in qua jus con-
firmandi consistit.

Numb. 42. Dices cum Mod. Verino, &c aliis,
Privilegium hoc per Leonem X. Concessum jam
esse amissum, sicut Privilegium amittitur per
non usum. q. Imprimis, dispositionem illam
Leoninam non tam in Privilegio esse situatam,
quàm fundatam in præcepto Regulæ Cap. 8vo,
contra quam non habet locum proscriptio, sed
solùm Pontificia dispensatio, quam Leo X. dare
noluit. Unde ipsemet hanc dependentiam or-
dinans præceptum Regulæ de unitate Ministri
torius Ordinis allegat. Quod autem dicitur de
non usu, q. Non obstat Juri jam acquisito: quia
per Ministrum Observantinum non sterit, exer-
cere actum Confirmationis, dum Papa, per
præventionem superioris potestatis suæ, Magi-
stros Generales Conventualium ipse confirma-
vit; quod, ne cesseret facere, semper servant
Romæ sua comitia Generalia, & electiones, ut
sint ad pedes summi Pontificis; cuius equidem
actus hujusmodi non præjudicant Juri ipsius Mi-
nistri Generalis totius Ordinis; nec contra hunc
inducunt præscriptionem: quia per tales actus
Papa non intendit præscribere, cùm absque eo
tale Jus, quod in omnibus aliis solùm Jus quasi

Vica.

Picarium est, in Papa resideat tanquam ipsi in summo gradu proprium ad summæ spectans plenitudinem potestatis. Intentum meum exemplifico: Jus E. G. Pontificandi, quod habet Vicarius in Pontificalibus Generalis, non laeditur per hoc, quod ipse Episcopus toties quoties, in modo semper in certis festis, aut Ecclesiis Pontificet: quia quidquid potest causa inferiori dependens a superiori in causando, potest & superior; ita & quidquid potentiae Jurisdictionalis est in inferioribus Praelatis, est etiam in Papa; consequenter Authoritas ejus sece extendit ad quamcunque Authoritatem inferiorum, idque sine horum prejudicio: cum inferiores in similibus non habeant jus sibi ita proprium, utilius idem Papæ non sit magis primariò proprium, qui veluti per alios, non in plenitudinem potestatis, sed in adjutorium vocatos, proprium suum posse exercet; nec Regula aliqua cursum hunc valet impedire. Quando autem aliquis facit aliquid per illum, hoc potest, quandocunque vult, facere per se ipsum; cum agens ministeriale dependeat a principali in virtute agendi. Alii proinde hic adferantur actus contra Jus confirmandi, Ministro Generali totius Ordinis semel datum, & nunquam revocatum; quales forent, si alius a Papa Magistros seu Ministros hujusmodi Generales confirmasset, in quem Papa Jus tale Ministro Observantino ablatum transtulisset; alius profectò manebit in Ministro prefato *Jurisdic-*

dictio quedam habitualis non irridenda, non una cum larvis & umbris in spatiis imaginariis collatanda. Et hæc deserviant pro probatione 2da mei quondam asserti, quod Mod. Verinus tan-topere per expressiones minùs benè sonantes conatur explodere.

Num. 43. Similiter in adjutorium probationis 3ta potius, quam contra eam dices 2dū, Quod Leo X. suprà statuerit cavendo, sicque impediendo, ne Minister totius ordinis (præter præfatum jus confirmandi) aliquid judicialiter circa ipsos Fratres Conventuales, & domos eorum, ac loca &c. exerceat. Item quod in vim hujus Leonini statuti ipse met Minister Observantinus in Instrumento Concordia inter ipsum, & Magistrum Generalem Ordinis Conventualium, coram protectore ordinis, & Notario erecto, ac utrimque jurato (quod videre est apud Wadding. ad annum 1517. Num. 33.) quod inquam Minister Observantinus ita concordaverit: *Prædictus Minister Generalis conformiter ad Bullam Apostolicam (scilicet Concordia) desuper confessam consensit pro se, & suis successoribus, quod nullam Jurisdictionem in Fratres Conventuales exercet.*

R. Ex hoc potius erui, & stabiliri Jurisdictionem quandam habitualem per statutum ejusmodi Leoninum, sicut & per proprium Ministri Observantini consensum impeditam, ne alias stans exiret in actum, sicque ex habituali actualis fieret.

Fallor, si superior aliquis habens potestatem in alium superiorem, non possit illi alteri superiori relinquere plenam Jurisdictionem in suos subditos, absque eo, quod per hoc præjudicet potestati, aut Jurisdictioni, quam habet in capite, seu in alio ut superiore. Hoc ipsum cum sufficiens paritatis ratione exemplifico in illo, qui Feudatario Dominium utile cum plena Jurisdictione in suos subditos concedens, non perdit per hoc Dominium altum in tali Feudo. Timeo, ne hic ulterius progrediendo, probarem forte, ultra meum intentum, Jurisdictionem plus quam habitualem; præsertim dum ab una parte tam luculentex Decretis pontificis, ac sacræ Congregationis Definitivis sententiis probatur legitimitas tituli *Ministri Generalis totius Ordinis Minorum*; & ab alia parte non ostenditur, explicita saltē, dispensatio in præcepto formaliter Cap. 8. Regulæ: *unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere generalem Ministrum, & servum totius. Fraternitatis; & ceterantur firmiter obedire.* Quærōque ad superfluum: Si Archi-Episcopus eximeret Capitulum aliquod à Jurisdictionali influentia sui Vicarii Generalis, an non hic adhuc Jurisdictionem quandam habitualem respectu talis Capituli retineret, quatenus exemptione illâ sublatâ, amotique impedimento, posset ad actus Jurisdictionis procedere? præsertim, si potestas confirmandi Caput talis Capituli, ipsi nunquam fuisse ablata, prout est in casu nostro. Num.

Num. 44. Saltēm , si etiam Observantinus Generalis Jus confirmandi Conventualium Generalem ad intentum objectionis perdidisset , sequitur , eum tale Jus aliquando habuisse : quia demo , quod non habet , perdit . Deinde Jus tale non tam perditum , quām in suo vigore conservatum legimus in Brevi Pauli III. Cūm sicut &c. dat. 28. Iulii 1546. in quo confirmans F. Bonaventuram Castracciarum , Sextum post Leoninam Divisionem Magistrum Generalem Ordinis Conventualium , judicavit Constitutioni Leoninæ tale Jus Ministro Observantino concedenti specialiter derogandum dicens : Non obstantibus constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis.... Nec non literis felicis recordationis Leonis Papa X. Predecessoris nostri unionis & Concordia Fratrum Ordinis hujusmodi nuncupatis , quibus caveri dicitur expressè . quid Generales & Provinciales Magistri dicti Ordinis (Minorum Conventualium) confirmationem electorum suorum à Ministris Fratrum dicti Ordinis de Observantia nuncupaterum &c. petere teneantur ; quibus [illarum tenores , ac si de verba ad verbum insererentur , presentibus pro expressi habentes] ad effectum presentium Duntaxat hāc vice tantum derigamus &c. Apud Joannem de Luca Continuat. Annal. Min. Tom. 18. in Regesto pag. 420. Ubi vides Con- & reservatum Jus illud , quod assertur nunquam habitum , vel saltēm non usu jam perditum. Protectio , quod nihil est,

est, & in Corpore Juris Minoritici pro nihilo habendum, huic frustraneè Papa tana specialiter derogaret, & quidem *pro hac vice tantum*, & ad effectum præsentium duntaxat. Interim Authore M. Verino jus hoc quantumcunque irrevocatum, &, ut visum est, per actus Pontificios, utpote ipsi nullo modo contrarios, nullâ præscriptione sublatum, immo potius à Pontificibus suppositum (ut suo intellectu ludat) inter ludentis rationis entia publicè collocatur.

Num. 45. Interim propter continuatum à PP. Conventualibus ad ipsum Papam recursum, fateor me hucusque non legisse actum, quo re ipsâ à nostro fuisse Ordinis Conventualium Generalis confirmatus, Papâ semper præveniente, ad cuius Sacellum statim post peractam hujusmodi electionem, omnes vocales suum jam electum Primicerium processionaliter deducunt, qui ibidein unâ cum benedictione Papali accipit confirmationem suæ electionis; prout actum illum scribit, & describit P. Coronelli Convent. in suo opere, cui titulus: *Ordinum Religiosorum in Ecclesia Militante Catholica*, part. I. pag. 74. Nec mirum, cuilibet enim liberum est à Papa suam confirmationem petere; quod provenit ex ipsa prærogativa Papæ, pro quo proinde frustrâ quis implorat assistentiam præscriptionis. Plures nihilominus est reperire actus, quibus Observantini Ministri Provinciales, in vim earundem Leoninorum

rum confirmarunt Ordinis Conventualium Provinciales Magistres in suis respectivè locis, ubi fuerant electi; nam P. Ferdinandus de Bologna in sua *Memoria Historica Provinc.* Bolon. FF. Minorum de Observantia, ubi part. 2. cap. 4. pag. 10. refert sequentia: In loco Annunciatæ apud Bononiæ, die 6. Decembris Anno 1525. ad instantiam Magistri Hieronymi Varati de Ferrarea, missi à Rev. P. Magistro Joanne Francisco de Cremona noviter electo in Magistrum Provincialem Provinciæ Bononiæ super Conventuales, confirmavi authoritate officii Ministeriatus mei, juxta tenorem Bullæ Leonis X. suprà dictum Magistrum P. Joannem Franciscum de Cremona, sicut meus Prædecessor confirmavit ejus Prædecessorem, ut habetur in Registro alio &c. Ex Libro sup. Econtrariò autem dum Anno 1523. In Provincia Castellæ PP. Conventuales in suum Magistrum Provincialem elegerant F. Petrum de Arriaga, oriebatur controversia circa modum obtainendi confirmationem, quam à Ministro Provinciali Observantino dictæ Provinciæ ad tenorem Bullæ *Concordia* Leonis X. petere tenebatur, controversiâ ad *Quignorium*, totius Ordinis Ministrum Generalem Observantinum delatâ, hic deputatis priùs tribus causæ Judicibus, tandem decrevit, omnia debere fieri ad tenorem Bullæ præfatæ, & quod hæc ubique sit Observanda, donec

sedes Apostolica aliter disposuerit. ut refert Ha-
roldus ad Ann. cit. ex Waddingo.

Num. 46. Quantum autem ad paternam Visitationem, que per easdem Leoninas Mi-
nistro Observantino tanquam jus aliquod volun-
tarium competebat respe&tu PP. Conventua-
lium; hanc legitur exercuisse suprà memora-
tus *Quignonius*; refert enim Waddingus ad An-
num 1524. qualiter prænominatus Minister
Generalis Observantinus non intermisserit visi-
tare multos Conventus Observantium, sicut
& Conventualium in Regno Hispaniae in vi-
ordinariæ, & Successori S. Francisci connaturalis
facultatis in Bulla Leonis X. : *omnipotens Deus*
&c sibi reservata. Accessit itaque stā Januarii
ad Conventum PP. Conventualium in civitate
Jacæ (quam Hübener Gienum vocat) in Anda-
lusia; & postquam Religiosos dicti Conventus
visitaverat, atque secundūm consuetudinem in
pleno Capitulo monenda admonuerat; tandem
tota Communitas istius Conventus, ultroneè
ipsum rogabat, ut eundem suum Conventum
reformare, & Regulari dein Observantiae in-
corporare dignaretur, quod & fecit præsentib-
us Civitatis illius Primoribus cum Notario.
Vid. Wadding. Edit. Rom. Tom. 16. pag. 197.

n. 36.

Num. 47. Hucusque à Mod. Verino tractus,
& pertractus probavi respectivè ad venerabi-
les PP. Conventuales, cum bona illorum ve-
nia

nia dictum meum. Nunc quantum ad sacram Capucinorum Familiam idem probo, imprimis ex eo, quod Minister Observantinus jus aliquando statutum & fixum, ac nullibi revocatum, aut præscriptione sublatum ostendat, confirmandi illum (scilicet Magistrum, seu Ministrum Conventionalium) qui nedum jus habuit confirmandi, sed & ferè per saeculum aetè semper confirmavit Capucinorum superiorem Generalem: ubi, qui influit in causam, suo modo & influit in causatum. Deinde idem probo ex capite *Filiationis*, quam retinet ad Observantinum Ordinem, prout patet, tum ex decreto supra n. 18. adducto; tum ex eo, quod instrumentum emancipationis infallibiliter denotet Filiationem præcessisse, sicque manet respectus ad Petram: tolle proinde istam emancipationem (prout in Dialogo continuato arguebar) & apparebit Filius sub patria potestate, quæ alias erat impedita, ne exiret in actum. Nefas in ihi est apud Mod. Verinum, quod impediat hanc patriam potestatem, *habitualē quandam jurisdictionem* appellaverim, ne cum ipso dicerem, titulum illum nostri Generalis Ministri larvam esse, magni nominis umbram, & fingentis rationis negotium. Si etiam titulus ille nullatenus se se ad Capucinos extendat, saltè fundatus erit respectu illorum, pro quorum respectu ab initio tantâ maturitate datus fuit, ac definitus; cum Capucinorum Familia nondum esset nata, & in

Observantia adhuc virtualiter contenta. Non fueram ego explicitè locutus de Capucinis, meūmque ad propositum, sive ad p̄fati tituli contra irrisores defensionem sufficiebat Jus Confirmandi Magistrum Generalem Conventionalium, qui & natum, continuatūmque Caput Capucinorum confirmabat; unde & frustrā me accusat Romæ Mod. Verinus, qui tamen, si velit, sub explicatione suprà data dicam & illud, quod ipse oppugnat; donec ille probaverit, per adventum Capucinorum titulum illum suo fundamento fuisse evacuatū: ubi equidem patebit, quod integro ferè seculo post illorum nativitatē de novo fuerit per Sacram Congregationem legitimus declaratus, ut visum est suprà num. 7mo.

Num. 48. Manendo autem in meo fundamento *Juris Confirmandi*, de quo suprà, adhuc quero: si per non usum Observantinum Jurisdictionis illius actualitas, seu potius hujus actualis jurisdictionis actus secundus, usque modò non steterit, & in exercitium non prodierit: an & propterea talismodi Jurisdictionis, quæ nullibi ostenditur revocata, usque adeò habitualitas periit? Amplerior simile [in quo Mod. Verinus triumphum ante victoriam canit] de intentione habituali: an non ipsius actualitatem de necessitate sequi debet *non usus*, ut actualitate cessante, intentio habitualis fiat? & quidem hæc habitualiter manet ex eo, quod non sit revocata.

Sanc,

Sanè, si non fallor, habitualis intentio describitur: *Actualis semel habita, per interpolatos actus alios interrupta quidem, sed non revocata:* ubi, nisi non usus actuum ad primum finem ordinatorum intercederet, utique, si non actualis, saltē virtualis maneret, habituali fortior. Interim æquus Lector judicabit me inter & ipsum; qui, dum ego de habitu, ille de actu 2do loquitur; ego tituli. sāpe memoriati fundamentum in re assigno, nec respectu ad PP. Capucinos pro hoc indigeo: ille omnem planè respectum ad Capucinos à titulo hoc recipiens extra meum campum propriam sibi querit pugnam, plurimum differens de Capucinorum ab Observantibus independentia (quam nec ego nego) de Sphera activitatis Jurisdictionis habitualis, dēque ejusdem ad modum aliorum agentium agendi necessitate, prout videre est pag. 206. quam tamen habituali Jurisdictionem ego inter necessariò agentia non colloco, sed eam veluti sine omni actu, seu actuali exercitio potentem subsistere cum aliis respicio; utpote cuius esse proprium non consistit in actu, sed ad actum, sicut omnis habitus solidus dat posse agere, vel proximè, dum sine impedimento est *proximus*; vel remotè, dum est ab actu secundo pro tempore impeditus; & equidem manet habitus. Ut verbo absolvam: si Jurisdictionem legitimè datam, confirmataam (prout ipsimet PP. Conventuales

anno 1540. Leoninarum confirmationem à Paulo III. petierunt, & in Bulla, quæ incipit: *Exhibita Nobis &c. iinpetrârunt*) confirmatam inquam, & nunquam revocatam, sed solùm ab actu secundo impeditam, habitualem dixerim & adhuc dicam: non puto, me tam in aliorum, quam in Mod. Verini Judicio peccasse, veluti si *entia rationis pro realibus obtrusissim:* ne alias Episcopi suspensi Jurisdictione (si tamen in nostro casu suspensio dici possit) immo usque adeò Divi Augusti, seu moderni Imperatoris Hierosolymitani Regis titulus, inter puros negotiantis rationis partus simili ludibrio veniant collocandi, prout Mod. Verinus in sua scena inscriptionem nostri Generalis, vix non cum cachinno suam post triumphalem, simûlque solùm verbalem Rhedam trahit, ferè usque ad illud: *me quoque Pollucem mea mater vincere dixit.*

Num. 49. Objicit Mod. Verinus pag. 213. *Quod Observantinis per Leoninas institutis Ministeris ea authoritas, & plenitudo jurisdictionis non insit, quam Regula Seraphica Minister Ordinis, ac servo totius Fraternitatis attribuit; indeque non totius Franciscana, sed totius Observantina Fraternitatis Minister sit, & nuncupari depositar.* Et parum infrà falsum, & plenè ridiculum dicit, inferre habitualem dependentiam Capucinorum; præsertim, cùm ego in Dialogo Cont. dixisse, Capucinos Pontificia Dispensatione ab Observantium Ministro, & à totalitate Fraternali-

ternitatis ejus recessisse. Quomodo ergo, inquit, ad eundem Ministrum adhuc pertinēbunt? *Et* Ad ipsum, præviè advertendo, quòd Ministri Observantini nunquam per Leoninas fuerint instituti, sed semper à Corpore Ordinis legaliter electi. Et, si Constitutionem Leoninam institutionem appellare volueris, ponenda tantum erat in hoc, quod pro electionibus hujusmodi solos Observantes ex omnibus Ordinis Reformationibus unitos qualificans, seu qualificatos pronuncians, alias Conventionalismum Sectantes excluderet, atque inhabilitaverit. Deinde ad objectionem ipsam Respondere, me nunquam de plenitudine Jurisdictionis afferenda somniasset, unde solummodo Jurisdictionem quandam habitualem afferui, quæ sufficit, ut titulus *Ministri Generalis totius Ordinis* habeat fundamentum in re; & simul servatur debitus respectus ad præceptum Regulæ, de unitate Ministri, ac servi totius Fraternitatis: qualia eidem Regulæ præcepta non ligant Papam, quin legitiè dispenset, seu actualem Jurisdictionem impedit, ac suspen dat, quâ Dispensatione, veluti ligaturâ legis sublatâ, iterum ligaret præceptum omnes Professores talis Regulæ, prout jacet; atque per hoc, stante dispensatione, stat obligationis habitu alitas, quæ centenis exemplificari posset exemplis.

Num. 50. Per hoc idem etiam ruit alia objec

ctio , per quam Mod. Verius supra putat , se
habituelm dependentiam facere ridiculam ;
cum' potius existimata vis argumenti illius
(quod ad meum assertum non quadrat) sicut
Democritis risum , ita & Heraclitis fletum
causare posset . Sanè non irrideat Patrem Filius ,
à cuius potestate non naturā , sed solo acciden-
tali Principis Privilegio ante diem est exemp-
tus . Dum autem pag . 215 . exaggerat , quod
in Bullis separantibus nullam Pontifices de tali
dispensatione faciant mentionem : dico , nec
me explicitam dispensationem unquam inve-
nisse , aut allerusse : nisi eatenus , quatenus
Papa plures in Ordine Minoritico Superiores
independentes concedendo , satis censeatur
dispensasse in hoc : utram de Fratribus istius Re-
ligionis (scilicet à P. Francisco institutæ) tenean-
tur semper habere Generalem Ministrum , ac ser-
vum totius Fraternitatis , & ei teneantur firmiter
obedire . Tali quidem (qui solus adhuc dicitur ,
& dici audet Minister Generalis totius Ordinis S.
Francisci , vel Minorum) primi Capucini Obe-
dientiam voverunt , sed ex post legitimā hujus-
modi Pontificum dispensatione , alteri , ab ip-
sissimel eligendo , cum æquivalente merito obe-
diunt , cum Papa sit supra Regulam , imò quā
confirmans , formalis Conditor Regule . Quæ
quaeso in his omnibus RR. PP. Capucinorum
injuria? nisi forte illa , quæ ab ipsa rei , & fa-
cti veritate proveniens ad unius vel alterius ima-
gina .

ginativam sinistram ascendit. Frustrè etiam, & supervacanè pag. 217. loquitur de Conventualium, & Capucinorum in meo systemate obedientia, & transgressione Regulæ, utpote quod nec ex meis dictis sequitur, nec hoc sentire in purgatum cerebrum nunquam ascendit, sicque Mod. Verinus verba pro farina opponit.

Num. 51. Idem objicit pag. 218. quærendo: an Reverendissimus Seraphinus à Capricolle modernus Capucinorum Minister fictione quādam Juris, an noui potius verè & realiter, perque veram, & rectam Lineam à S. Francisco descendenter, prout (inquit) Urbanus VIII. & Clemens XII. asserunt in suis Bullis &c. Aliud esse Capucinos per veram, & rectam lineam à S. Francisco descendere, quod non nego, cùm laterales lineæ ipsum etiam stipitem lineâ rectâ respiciant, & Capucini ex Observantibus facti originariam Regulæ professionem, & Observantiam continuârint, & in perlonarum successione non interrupta usque hodie continent, & volente Deo pro ejus gloria continuatur sint. Et longè deinde aliud est: modernum Generalem Capucinorum, à S. Francisco, ut primo Generali, per legalium electionum seriem descendere; quod nemo dicit, nisi qui ob unius, & alterius à Ministri Observantini obedientia impletatam exemptionem, Ministrum hujusmodi Observantinum ex suo loco, & serie de-

turbatum assereret. Concedo itaque Mod. Verino, quod illorum Generalis, quae Capucinus, veram & realem descendantiam à S. Francisco habeat, quod solum & unicum declararunt Pontifices. Dum autem Mod. Verinus pag. seq. addit, quod tempore Leonis X. manus Apostolica F. Christophorum Numajum ab humilitate Vicarii Observantini, ad sublimiorum Gradum formalis, & legalis Ministri Generalis levaverit; valde alienum à vero est: quia non Papa, sed Ordinis Electio talem fecit; esto Leo X. ad talem electionem inhabilitaverit Conventuales, ex quorum tribu ab ante (non de Jure aliquo statuto, sed liberarum electio-num contingentia) Ministri Generales totius Ordinis Minorum eligi consueverant. Inter quos, scilicet Conventuales, tunc temporis computabantur Clarenorum, Coletanorum, Amadasiarum, & Fratrum de Capitulo, seu de S. Evangelio Ordinis Reformationes, qui & suos Ministros Provinciales habebant: dum pars contradistincta, scilicet Fratres sic dicti Observantes de Familia, Vicarios respectivè Generales, & Provinciales habebant: qui electionibus hujusmodi nolebant se se immiscere ex proprio beneplacito, ex quo, sicut ipsis nullum præjudicium, ita nec alteri parti Jus possessionis inducebatur, ex l. 12. C. d. excus. *Tut. & Cur.* Nec beneplacitum ulli legi subjacet,

cet; & Jus libertatis præscriptioni non cedit,
ex c. 17. de Prescrps.

Num. 52. Summa interim tam apud Mod. Verinum, quam apud plures alios, æquivo-
catio est in eo, quod electiones Ministrorum Generalium pro tali tempore solis Conventua-
libus attribuant, cum omnes prænominatae Re-
formationes semper ad illas concurrerint, quæ
postmodum per Leonem X. unâ cum tribu Ob-
servantina sponte suâ per tempus non concur-
rente, in unum Corpus Ordinis Observantium
(omnisâ diversitate nominum) de cætero appelle-
landum, unitæ fuerunt, & adhuc sunt. Di-
cteria preinde sunt, & verba infundata, dum
sæpe dicitur, quod Observantes (prost modo
sunt in suo corpore) ante Leonem X. non ha-
buerint Ministros, sed solùm Vicarios; cum id
non verificetur, nisi de una respectivè ad om-
nes alias modica parte, scilicet de tribu Obser-
vantium de Familia. Quod notabile fundamen-
tum deinceps respiciant, qui circa res Mino-
riticas scribere intendunt: ne alias ipsi docen-
tes errent, & anachronismis suis credentes de-
cipiantur: Vastissimum enim Corpus, quod
modo Observantium dicitur, & à quo PP.
Conventuales per Leonem X. (tanquam pars
minor à maxima) separati fuerunt, non ex solis
Observantinis de Familia (qui unicam tribum
contra quinque constituebant) sed ex omnibus
illis supra memoratis Ordinis Minoritani Refor-
matio-

mationibus coaluit, ac concrevit; proindeque objectiones quam plurimæ, de separatione observantium; de eorum non Ministris, sed Vicariis; de Conventualium ante Leonem X. plenario Regimine; deque Ministris Generalibus, & Provincialibus solum Conventualibus, & cetera hujusmodi, tanquam nullæ abjiciendæ sunt, aut saltē in suo supposito reformandæ: Cūm posterior pars ordinis ante Leonem X. modò fuerit reformata, & omnes Ministri Generales (si tres solummodo exceperis, etiam propterea ab officio depositos) ordinis reformationem urserint, & in nullo Capitulo Generali admiserint relaxationem. Quidquid alli, vel fingant, velexaggerent, ut soli videantur lapsum ordinem resuscitasse, in lapsu aliorum ponentes gloriam ortū sui.

Num. 53. Non displiceat veritatem prædictorum luculentius percipere ab Authore *Fundatorum iriam ordinum*, qui ipsemet ex supra memoratis Reformatis erat, & eatenac ante Leonem X. à parte Conventualium stabat, quatenus Observantium *de Familia* diversum, & quasi sequestratum regimen sub Vicariis, ægerimè ferebat, ac in multis contra hos scribens prætendebat, quod sui, ob identitatem regiminis veluti inter Conventuales, sub stricta equidem Regulæ Observantia, viventes, magis essent ad horum reformationem apti; cūm econtra Fratres *de Familia* quasi singularizantes, amissio reformandorum Conventualium favore, non ita

itâ forent ad opus reformationis universalis expediti, utpote (licet sub uno, eodemque Ordinis Capite) quasi sibi solis viventes; prout datur intelligi ex iis, quæ ex verusto illo authore de suis temporibus loquente, per frusta hic pro dilucidando ordinis de se sat dubioso Systemate subjicio. Imprimis de suprà memoratis Reformatis (quos de Observantia Regulari vocat ex eo, quod secundum Regulam Ministris obedirent) part. I. fol. 35. Sic ait: „ Prout multi Fratres „ Observantie hujusmodi ex tunc fecerunt, qui „ nunc quasi ubique multiplicati, & ex optimè „ reformatis Conventibus, & Conventualibus „ numerum suum indies augentes, & jam plures „ Ministros ex suis etiam super Reformandos „ habentes; paulatim, & pacificè ordinem re- „ formant in diversis orbis partibus, ut patet &c. „ Et ibidem fol. 34. in fine sic scribit: „ Protegente „ Domino, & Bmo P.N. Francisco, sub regulari „ obedientia, & cura Ministrorum, & custo- „ dum, juxta Regulæ formam, in vera & stri- „ eta sui statûs observantia usque in prælens „ perseveraverunt, & in diversis Provinciis mul- „ tiplicati sunt, alios Conventuales paulatim, & „ pacificè ad veram sui statûs Observantiam mo- „ dis conguitis secum reducentes, & reformatentes „ &c. Et part. 4. fol. 167. ita prosequitur: „ Cujus ritum, & exemplum suprà dicti Patres „ nostri, & sui sequaces in diversis orbis Pro- „ vinciis hucusque tenuerunt firmiter, & tenent

„ in Provinciis Saxonie , S. Bonaventure, Fran-
 „ cie , Turonie , Aquitanie , & S. Ludovici ..
 „ & qui iam paulatim multiplicando plures Mi-
 „ nistros de suis , tam super suos , quam super
 „ reliquos Conventuales , & Reformatos in di-
 „ ctitis Provinciis habete meruerunt ; qui sine
 „ suorum Observantium , & Reformatorum in-
 „ debita mixtione , etiam cum gratia ipsorum
 „ Conventualium , Conventus eorum pacifice ,
 „ & paulatim ad verum reformat , & ex iisdem
 „ Patribus Conventualibus sponte ad verum re-
 „ formatis , & veram reformationem ardentius ,
 „ & ferventius querentibus , & pro posse in-
 „ ducentibus , numerum suum quotidie augent
 „ &c. Et ibidem fol. 177. addit : „ Jam nunc
 „ Conventuales , quibus solebant subjici , in
 „ diversis Provinciis superant , & regunt ; & in
 „ officiis Ministeriatis , & Custodiatis paulatim ,
 „ & sine suo detimento , & cum gratia sanioris
 „ partis ipsorum Conventualium ad verum , &
 „ pacifice reformat.

Num. 54. Idem author loco immediate citato contra observantes *de Familia* scribens , respon-
 densque ad eorum objectionem , quā prætende-
 bant , se ex regimine Ministerorum in progressu
 suę reformationis , & observantię impediri , ac
 molestari , ait : „ Insuper idem de insufficien-
 „ tia , & nullitate causę molestationis , & im-
 „ pedimenti hujusmodi , experientiā notoriā
 „ certā , & probatā ostenditur per hoc , quod dēa
 non

non obstante, Regula ipsa isto modo sub regulari obedientia, & cura Ministrorum à principio ordinis usque ad præsens in diversis mundi partibus, & locis, & sub eisdem Ministris, ubi &c à quibus ipsi de *Familia* eximuntur, commode & pacifice observata semper fuit, & usque in præsens observatur sine exemptionibus hujusmodi, etiam strictè, & ad verum.

Et cùm jam omnes illi reformati, de quibus hic author agit, imò probabiliter & ipse hic author (utpote qui immediatè ante tempora Leonis X. scripsit, & vixit) per Leonem illum unà cum Fratribus *de Familia* in uolum Ordinis Corpus, quod modò *Observantinum* nominatur, ipso Leone narrante, reverè coaluerit: palam fit error illorum, & equivocatio, qui præsens Corpus Observantiae sumunt præcisè pro Fratribus *de Familia*, à quibus nequidem certum est, quòd nos Recollecti Germaniae habeamus descendientiam personatum, saltè ex toto: Cùm constet Reformationem *Coletanam* (quæ etiam una ex unitis erat, & semper sub Ministris, eate-núsque Fratribus *de Familia* contraria manserat) anno 1406. per Galliam, inferiorēque Germaniam novo resumpto ordinis spiritu cœpisse dilatar; clarissas simul, & Frates Minores reformati B. Coletā. Certumque pariter est, quòd *Coletani* hujusmodi posse derint Conventus. Aquisgranensem, Loyalensem, Durstensem, &

Wid.

Widdelbergensem Provinciæ Coloniensi anno 1512. Quinquennio ante divisionem Leoninam, incorporatos per Bullam Julii II. quæ incipit : *Celebrato &c.*

Num. 55. Ad testimonia præfati Authoris nullatenus suspecti similiter respiciant, qui cum Authore *Rationum Historicarum* nimium perentes prætendunt, pet duo prima sæcula Minoritica solos extituisse Conventuales, & Observantes suam cum ætate originem non habere, nisi à tempore Concilii Constantiensis, quo Fratres de *Familia* sub Vicariis collocati sunt : nam etiam præter hos veri observantes (loquente isto authore) nunquam in ordine defuerunt, licet diversis temporibus diversimodè à suis respective Reformatoribus sint appellati ; exstabaque præter *Observantes de Familia* ingens illorum numerus, quibus objici non valet, quod aliquando, sicut Fratres de *Familia*, quoad diversum modum regiminis, separati fuerint, aut ab electionibus Generalium activè, vel passivè exclesi ; & hi ipsi saniorem partem constituebant Communitatis Ordinis nullatenus divisi, quæ Communitas quidem *Conventionalium* dicebatur, non tam à consimili modo vivendi, quam à modo ejusdem regiminis, veluti contradistincta à Fratribus de *Familia*, absque eo, quod omnes (qui tanquam à parte *Conventionalium* stantes sumebantur) relaxations sectarentur : cum maxima pars talis communitatis revera, & secundum rem esset obser-

obseruantina , id est literalem sequens regulæ obseruantiam. De qua parte erat , dèque ea testabatur allegatus Author part. 4. fol. 124. dicens :

„ Fratres etiam sub regulari observantia degentes,
 „ & viventes , licet vivant sub eadem obedientia
 „ Ministri Provincialis , non possunt ad Fratres
 „ Conventuales non sufficienter reformatos , &
 „ ad eorum loca causâ relaxationis , vel cum
 „ manifesto periculo transgressionis Regulæ
 „ transire , nisi cum evidenti periculo suæ salutis ;
 „ quamvis dicti Conventuales jactitent se habere
 „ Bullam dispensationis pecuniarum , & reddi-
 „ tuum annualium . „ Ubi NB. quòd Conventuales
 tunc temporis unam eandemque cum aliis Refor-
 matis emittebant professionem.

Num. 56. Zelosissimi etiam ut plutimum fuerunt Ordinis Generales ante Leonem X. electi , qui modis omnibus Fratres de Familia fovebant , excepto , quod libenter voluissent illos ad eundem regiminis modum , salvo per omnia illorum zelo regulæ , inducere ; Et hoc quidem sanctâ intentione quarebant , cùm sperarent per Fratum hujusmodi adjutorium , virésque junctas universalem Ordinis Reformationem esse facilitandam , prout ostendit idem Author Fundamentorum part. 1. fol. 38. dicens : Ad partes
 „ Hispaniae profectus est (Ægidius Delphinus
 „ Minister Generalis) ibique gratanter à Catho-
 lico Rege , & Regina devotissimè est suscep-
 „ tus , quorum assistentiâ pro posse reformans , & ve-

„ ram Ordinis unionem , & Fratrum *de Familia*
 „ reductionem ad obedientiam Regularem de-
 „ siderans , ut non solum illorum saluti , & uti-
 „ litati provideret , sed etiam eorum auxilio cum
 „ ceteris utilius , & commodiūs ordinem ipsum
 „ ad verum reformatum posset ; Plures tandem
 „ provincias ipsorum *de Familia* , Deum timen-
 „ tiūm , ad veram obedientiam , & unionem ibi
 „ retraxit , & quatuor Ministros ex iisdem Pa-
 „ tribus *de Familia* in diversis Provinciis ibidem
 „ constituit , committens iisdem Reformationem ,
 „ & Regimen omnium Conventualium in parti-
 „ bus illis .

Num. 57. Et sanè fatendum est , Fratres *de Familia* , si ad Regimen Ministrorum Provincia-
 lium accessissent , forte plus potuisse ad opus
 universalis reformationis contribuere , quam sub
 particulari regimine manentes sub suis Vicariis ,
 quibus aliireformandi non tenebantur obtempe-
 rare , sicut suis Ministris , ad quorum electiones
 Fratres *de Familia* (suis contenti Vicariis à se eli-
 gendis) non concurrebant ; sicque sua vota , quæ
 in Zelosiores utique contulissent , veluti bono
 communi subtraxerunt : pro quo Author *Firma-*
mentorum part. 4. fol. 177. sic ait : „ Occasione
 „ hujusmodi divisionis , & exemptionis non
 „ possunt commode , & utiliter ubique haberi
 „ sufficienes ad hoc Prælati , sive Ministri , ipsis
 „ (scilicet Fratribus *de Familia*) tales non eli-
 „ gentibus , nec eligi valentibus , quotum Mi-
 „ nistro-

nistrorum operâ Reformatio vera induci , &
 manuteneri habeat &c. „ Ubi saltēm apparet,
 quantum aberrent illi , qui modernum Corpus
 Observantinum pro solis Fratribus de Familia
 sumunt , cūm & iij omnes , de quibus hic Author
 loquitur , quīque Fratribus præfatis averſabantur
 iisdem anno 1517. per unionem , quam Leo X.
Votivam , & à spiritu S. conceptam enuntiavit , in
 unum Ordinis Corpus adunati fuerint , & modò
 sub respectiva , & vix amplius dignoscenda per-
 sonarum successione uniti vivant , & magis adhuc
 multiplicati iudicis multiplicantur , secum ducen-
 tes Ministrum Generalem totius Ordinis Mino-
 rum , ob modicam respectivè partem divisam
 non perturbatum in successione Ministrorum
 Generalium à S.Francisco , usque in hodiernum
 diem.

Num. 58. Circa cuius Jus hic observaverim
 adhuc , quod hic solus , & unicus notabile ordi-
 nis privilegium usque modò teneat , & in divi-
 sione ordinis secum sumpserit , quod eo ipso ,
 quo in talem electus est , in plena sui officii exe-
 cutione censeatur locatus , absque ulla etiam
 pontificia speciali confirmatione , quæ , si
 quandoque detur , est pro majori ipsius validitate ,
 proque suppletione defectuum juris & facti , qua
 quomodolibet intervenire possent , ut inter alios
 loquitur Urbanus VIII. in Bulla : *Dilecte Fili &c.*
 Confirmans F. Joannem Merinerum electum in
 Ministrum Generalem totius ordinis S. Francisci.

Tale autem privilegium Alexander IV. anno 1255. in Bulla, quæ incipit : *Inter alia &c.* dedit F. Joannì Parmensi sexto post S. Franciscum Ordinis Generali, & Clemens IV. in Bulla, quæ incipit : *Virtute conspicuus &c.* confirmavit anno 1258. ubimiro, quod illi, qui secundum Authorem *Rationum Historicarum*, soli à S. Francisco instituti, verumque ordinem primævum constituentes, & continuantes intrepide assertuntur, hoc privilegium ordini tam speciale, ac proprium, non sumpserint secum, dum ab observantibus fratre per Leonem X. divisi. Objicit M. Verinus pag. 8. Quod Sixtus V. 1585. per Breve : *Ex superius &c.* Conventualium generali perpetuam autoritatem impetrerit confraternitatem Chordæ erigendi in omnibus Conventualium, Observantium, & Capucinorum Ecclesijs, in iis ecclesijs aggregandi Archi-Confraternitati Assisensi : *Stante autem (inquit) observantino supposito*, quod ipsorum primicerius sit Caput, & Pater totius Seraphici gregis, nec non primarius trium ordinum S. Francisci generalis, *hec inquam ex supposito est per quam difficile captu,* quia congruentia Conventualium Rector, in Ecclesijs observantiam, qua tanto Generali, tanto Capiti, tantisque Patri subduncatur, ea polleat auctoritate, ut in iisdem confraternitatibus Chordæ erigere, ac ecclesijs valeat aggregare Archi-Confraternitati Assisensi, velut Capiti, & Materi cateriarum à chorda nuncupatarum confraternita-

eam. Ubi NB. quod ironicè procedat per tanto
& tanto.

Num. 59. Respondeo, illud suppositum non esse meum, sed Benedicti XIII. in Bulla: *Paterna sedis &c.* sub iisdem omnino verbis Ministerum Generalem totius ordinis depraedicantis. Addideram ego ipse Bullam illam per Clementem XII. unde cum aliis esse reductam ad jus commune Tridentini, quoad extraordinaria privilegia per illam concessa. Benedictus autem XIII. Bullâ suâ Ministru m observantium non per modum novi privilegi fecerat S. Francisci primarium successorem, sed solum proprio suo nomine eum appellaverat; unde non est conceptibile, Clementem XII. voluisse reformare, quod in tertium usque seculum ratum existet, absque eo, quod alia Minoritanæ Familia ipsi quoad actualem obedientiam subjectæ censerentur; quod nec Benedictus XIII. per talia prædicata voluit innuere, nec nostrum aliquis exinde inferre. Dum autem M. Verines ibidem paulò ab ante dicit, nedum quoad extraordinaria privilegia, sed etiam quantum ad istam nostri Generalis appellationem, Bullam: *Paterna sedis &c.* esse reductam ad jus Tridentini; quod, addit, esse consequens ex eo, quod Tridentinum binos ordines ut distinctos, & independentes considerans dicat: *Exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum; qui de observantia vocantur.* Ast! cum aliunde primarius generalis, qualis vocatur

Observantinus, non sit se solo talis, sed respectivè ad alios distinctos, simùlque actualis dependentia ad hujusmodi appellationis veritatem non requiratur, ut alibi ostendimus; non video consequentis illius cum verbis Tridentini connexionem, sìcque taliter argumentans de eburnea vagina videtur plumbeum gladium educere: nisi forte (sicut ante ipsum R. P. Hierotheus in Epitome) ex verbis illis Tridentini Capucinos ibidem ante Observantes nominantis, illorum velit ante hos prærogativam arguere; quā eādem ratione etiam Ecclesia Angelis prærogativam praे Archangelis daret, dum cantat: *Quem laudant Angeli, atque Archangeli &c.* quod, ut inquit Plautus, *non persuaderebis, nec si persuaseris quidem &c.* Si verò ab alia parte facta in Tridentino velis rationabilius observare, invenis, & Ministrum Observantinum inter alios Minoritanos Generales ut primarium sedisse, & veluti talem primò subscriptissime, ex quo formari posset argumentum solidum, dum aliunde Mod. Verinus ex arena videtur velle noctere funiculum.

Num. 60. Ad Objectionem autem ipsam Respondeo, quod vi concessionis Sixtinæ Generalis Conventualium non possit in nostris, aut Capucinorum Ecclesiis erigere hujusmodi Confraternitatem, nisi cum nostro, vel illorum consensu, per quod ipsum rueret prætendenda superioritas. Et sanè PP. Dominicani, & Carmelitæ


melitæ suas Confraternitates Sacri respectivè Rosarii, & Scapularis ità erigunt, & extendunt in Pagorum, & Oppidorum Ecclesiis Parochialibus, absque eo, quod in iisdem vel minimam Jurisdictionem prætendant. Sic pariter Observantes à propriis suis superioribus ad hoc delegati, stationes, quas *via Crucis* appellant, benedicunt, & erigunt, nedum in suis Conventibus, sed & de consensu Ordinarii in viis publicis, cum omnibus Indulgentiis, quas lucrarentur fideles, si ipsa loca Sacra Hierosolymis simili devotione visitarent; ex Concessionibus variorum Pontificum; & equidem in hisce ne vel umbram alicujus Jurisdictionis sese acquirere existimant. Illud autem Privilegium Observantes habent ratione Sanctuarii terræ Sanctæ; sicut PP. Conventuales à Sixto V, suum acceperunt ob possessionem Conventus Assisiensis, ubi in veneratione est Corpus S. Francisci; consequenter Privilegium utrumque non tam est datum ratione Ordinis præferendi, quam ratione loci præcisè. Unde & in locis, ubi non sunt Conventuales, ex simili concessione de anno 1587. & propriâ authoritate Confraternitatem Sacrae Chordæ in suis Ecclesiis erigunt Observantes, sicut etiam in alienis. De via autem Crucis Vide P. Holtzman Theol. Moral. part. §. à N. 783. qui adducit ipsas Bullas Pontificias, etiam recenter Confirmatorias, qui & N. 787. addit, quod in tali Privilegio,

ut pote ob specialem rationem Concesso ; non communicent alii Religiosi, etiam intra latitudinem Ordinis Seraphici consitentes, ut sunt Conventuales & Capucini. Tenet insuper praecitatus Author superiores nostros hujusmodi *via Crucis* erectionem probabilius etiam posse concedere pro cella privati Religiosi cuiuscunque Ordinis, eò quod cella velut pars Monasterii censeatur locus pius, de quo loquuntur Bullæ : Contrarium tamen tenendum de Camera alicuius secularis, quæ non habet rationem loci pii.

Num. 61. Tandem, ut plura alia hic omittam, quæ Mod. Verinus, dum nullo scopo Jaculatur, in puncto nostri Generalis exaggerat, pro fine adduco : me in Dialogo Cont, pag. 74. (non ut stringens argumentum inde efformarem, sed solum, ut publico Minoritico innotesceret) adjecisse allocutionem, quam Sanctissimus modo glorioissimè regnans Benedictus XIV. in Comitiis nostris Generalibus 1750. in summa persona præsidens, Ordinemque in Capite, & membris alloquens pronunciavit. Quæsivi tamen ibidem, an Pontifex Ordinem v. g. Capucinorum ita alloqui potuisset. Quod Mod. Verinus pag. 13. repetens, non tam ad quæsumum meum respondet, quam argumentum declinans tali Allocutioni ad extensem opponit aliam, quam idem Sanctissimus 1747. in Comitiis Ordinis Conventionalium similiter pro-

nuncia-

nunciavit, & de puncto ad punctum utramque ad invicem confert pro consimili utriusque Ordinis antiquitate. Ubi ad ipsum videtur spectare illud, quod Socrates monet: *age sic alienum, ut tuum non obliviscaris*: nam ego, sicut tunc dubitatively, sic modò assertively dico, Pontificem Capucinorum Ordinem sub talibus antiquitatis notionibus alloqui non potuisse: quod, si M. Verinus impugnare non potuerit, aut voluerit, satias ex toto hic tacuisset. Nam PP. Conventualibus diversimodè cum Observantibus comparandis (de quo postea) diversimoda etiam respectu Observantium veluti coeva assignanda est ætas; quos proinde ego à primis Ordinis temporibus non intendebam excludere, præsertim, si verum sit, quod Author Rationum Historicarum (qui dicitur esse Antonius Lucci) tenet, suos Conventuales ab ipsam antiquissima Ordinis Factione Eliana, seu F. *Elia de Cortona* personarum successione descendere, quæ factio incepit vivente S. Francisco; an autem tunc non fuerint regulam literaliter Observantes, à quibus sine interruptione continuatis nostrum nos habemus descensum, dicemus infra.



CAPUT OCTAVUM

De Sigillo Ordinis, & Initiosis Recollectorum.

Num. I. Cùm Mod. Verinus integrām Quæ-